


MEDIOLANUM  
SECUNDA ROMA

*Dissertatio Apologetica*

J O: P A U L I  
MAZZUCHELI

C. R. C. S.

EDITIO SECUNDA.





Eruditissimo Viro  
**ANTONIO GATTO S.**



**Q**UO mihi semper in loco fueris, peritissime legum, Antoni Gatte, exploratum tam abunde tibi ipsi apertumque reor, ut nihil omnino sit, quod testes ullos ad certio- rem animum tuum hac de re faciendum appellem. Totus enim, jam probe noscis, in colloquiis tuis rara admodum & singulari præditis doctrina excipiendis sæpenumero fui, quæ mecum incredibili humanitate immiscere olim nequaquam dedignabar, licet me tibi hominem nullo modo, nullaque via conferendum agnosceres. Et sane quis plurimum ingenio tuo non tribuat, quod nova semper ac peregrina in dies moliri, & præteritis quoque seculis non audita in lucem edere profitetur: adeo ut nostrorum cuique (si nos forte tui nominis magnitudo fugeret) verendum



372 Jo: Pauli Mazzucheli

dum esset, ne passim in antiquarum rerum ac historicarum ignoratione jaceres, sed cum notissimus longe, quam credi possit, nobis omnibus sis, fateri potius pleno ore compellimur, tibi uni reseratum tandem esse, quod universa literatorum natio post hominum memoriam haud unquam prospexit. Ignotæ hujus eruditionis, qua admirabiliter præstas, luculentissima nactus sum argumenta in tua *Gymnasia Ticinensis Historia*, quæ unico asserendæ veritatis studio accensa, innumeros primi quoque subsellii scriptores, nulli prorsus gratiam faciens, severissime simul ac elegantissime carpit. Quocirca irascor mecum, & ex animo doleo aureum libellum tuum meas nonnisi elapsis nuper diebus ad manus pervenisse, dum exterorum scriptis volvendis sollicitam plus æquo fortasse operam, ac pœnitendum, prope dixerim, laborem impendi. Non enim, mihi crede, in hanc usque diem immemor protraxissem ad te literas dare, orbique toti aperire quam maxima jure & merito erga  
per-



*Dissertatio.* 373

perfectum adeò absolutumque opus admiratione percellar. Verum enimvero inter tot ac tanta, quæ in ipso perennitate digna acervatim quodammodo occurrunt, unus mihi, nescio tamen de excellenti ne dicam sapientia tua, an de mea potius inscitia, querendi locus videtur. Is autem est, in quo ad Mediolanensem Urbem Patriam meam vetustissimo secundæ Romæ cognomento exspoliandam nervos omnes intendisti, ut ipso recens præclarissimam alioqui Ticinensium Civitatem indueres. Quo autem jure id pro civibus non tuis a te præstitum sit, ne quæso iniquo animo feras, scientissime Gatte, si ego pro meis ad trutinam breviter expendere cupio. Agitur enim de Patriis focus, pro quibus alii enses, ego calanum adhibere posse honestissime censeo. Me autem in disquisitione hac pertractanda ita geram, ut proximum a Patria locum tibi adhuc esse in amore meo persentias.

Validissimum ac pene ineluctabile, ut audio, inter cetera a te excogita-



374 *Jo: Pauli Mazzucheli*  
 gitata pro Papiensibus argumenta il-  
 lud omnibus videtur, ac pervulga-  
 tur, quod in mota adversus nos no-  
 strarumque rerum Historicum quæ-  
 stione ultimo, velut operis coronam,  
 loco adjecisti. Totius enim re-  
 vera causæ fundamentum est, quo  
 reliqua in altum antea educta opti-  
 me, ut reris, ac firmissime innitun-  
 tur. Primas itaque huic curas im-  
 pendere necesse habeo, ut primo sta-  
 tim aspectu, quo loco res sint, per-  
 spicere amicorum more possimus.  
 Scribis igitur cap. 1. *Gymn. Ticin.*  
*Hist. Imo etiam sub Karolo Magno hoc*  
*titulo ( scilicet secundæ Romæ ) de-*  
*cōratam fuisse Papiam testis nobis est*  
*Alcuinus in carmine ad Carolum Ma-*  
*gnum, quod ex Canisio refert laudatus*  
*Duchesnius tom. 2. pag. 190.*

*Rex Carolus caput orbis, amor populi-*  
*que decusque,*  
*Europæ venerandus apex, Pater opti-*  
*mus, Heros*  
*Augustus, sed & urbe potens, ubi Ro-*  
*ma secunda.*

Ex quo locupletissimo tanti viri te-  
 stimonio literarum gloria non mi-  
 nus,



## Dissertatio . 375

nus , quam vitæ sanctimonia illu-  
 stris, persuasum omnino habes actum  
 esse de antiqua Mediolanensium glo-  
 ria , deque auctoritate ac fide Corii ,  
 quem alii tantopere scriptores maxi-  
 mi huc usque commendarunt . Ve-  
 rum pace tua , amicissime Gatte , le-  
 gi alias ipse quoque Poema illud Al-  
 cuini versibus constans , si bene me-  
 mini , quingentis quadraginta &  
 octo , in quorum numero ne litera  
 quidem ulla , vel per somnium , Pa-  
 piensem urbem attingit . Locus au-  
 tem , quem aliorum , nescio quo fa-  
 to , accipiens , Ticinensium gloriæ  
 vertisti , quantuscumque est , cele-  
 berrimam Aquisgrani urbem oculis  
 subjicit , quam ab Attila funditus  
 jam excisam profusissimis suaque di-  
 gnis majestate sumtibus instauravit  
 optimus Imperator Carolus Magnus.  
 Inter cetera autem altioris famæ ædi-  
 ficia istic erecta magnificentissimam  
 sub Deiparæ Virginis nomine Basili-  
 cam construxit , de qua coævus scri-  
 ptor Eghinardus in vita ipsius Caroli  
 ait : *Plurimæ pulchritudinis Basilicam*  
*Aquisgrani extruxit , auroque , & ar-*  
*gen-*



376 Jo: Pauli Mazzucheli  
 gento & luminaribus , atque ex aere so-  
 lido cancellis & januis adornavit . Ad  
 cujus structuram , cum columnas &  
 marmora aliunde habere non posset , a  
 Roma & Ravenna debebenda curavit .  
 Et Monachus Sangallensis lib. I. de  
 Eccles. cura Caroli Magni testatur :  
 Cum strenuissimus Imperator Carolus  
 aliquam requiem habere potuit , non otio  
 torpere , sed divinis servitiis voluit in-  
 sudare : adeo ut in genitali solo Basili-  
 cam antiquis Romanorum operibus præ-  
 stantiorē fabricare propria dispositione  
 molitus , in brevi compotem se voti sui  
 gauderet . Ad cujus fabricam de omni-  
 bus cismarinis regionibus , & opifices  
 omnium id genus artium advocavit .  
 Palatium quoque sibi , futurisque  
 Imperatoribus Carolus Aquisgrani  
 fundamentis eduxit , de quo citatus  
 Monachus Sangallensis lib. eodem  
 hæc habet : Sicut adhuc probat non  
 solum Basilica divina , sed & humana  
 apud Aquisgrani , & mansiones omnium  
 cujusquam dignitatis hominum , quæ ita  
 circa Palatium peritissimi Caroli ejus  
 dispositione constructæ sunt , ut ipse per  
 cancellos solarium sui cuncta posset videre  
 quæ



## Dissertatio . 377

quaecumque ab intrantibus, vel exeun-  
 tibus quasi latenter fierent. Sed & ita  
 Procerum habitacula a terra erant in  
 sublime suspensa, ut sub eis non solum  
 militum milites, & eorum servitores,  
 sed omne genus hominum ab injuriis im-  
 brium, vel nivium, vel gelu caminis pos-  
 sent defendi, & nequaquam tamen ab  
 oculis acutissimi Caroli possent defendi.  
 Quare a Nithardo ejus ævi scriptore,  
 ipsius Caroli Magni, e filia Berta,  
 nepote, Angilberti filio prima sedes  
 Franciæ dicitur Aquisgranum, & in  
 ecclesiastico hymno Carolo ipsi sacro  
 appellatur: *Urbs regalis, sedes regni  
 principalis, prima Regum curia*. Hinc  
 Thomas Reinesius in Comment. Pa-  
 rerg. de Pal. Lat. pag. 12. scribit: *Ca-  
 rolus Magnus Aquisgranum Regiam si-  
 bi constituit, & successoribus perpetuam  
 denominavit, & caput Regni, seu Gal-  
 liæ trans alpes, & totius regni archiso-  
 lium*. Sed hac in re plurima alia di-  
 gnoscere quærenti videnda sunt, quæ  
 auctor fragmenti historici in Opere  
 Urstisiano, ex decreto, in dedica-  
 tione Aquisgranensis Basilicæ habita  
 per Romanum Pontificem Leonem  
 ter-



378 *Jo: Pauli Mazzucheli*

tertium, exscripsit. Qua vero de  
 causa Aquisgranensium urbem terris  
 magis omnibus unam coluerit glorio-  
 sissimus Imperator, audiatur ejus a  
 secretis Eghinardus lib. ut sup. *De-  
 lectabatur etiam vaporibus aquarum  
 naturaliter calentium, frequenti natatu  
 corpus exercens: cujus adeo peritus fuit,  
 ut nullus ei juste valeat anteferri. Ob  
 hoc etiam Aquisgrani Regiam extru-  
 xit, ibique extremis vitæ annis usque  
 ad obitum continue habitavit: & non so-  
 lum filios ad balneum, verum optimates  
 & amicos aliquando, satellitumque &  
 custodum turbam invitavit; itaut non-  
 nunquam centum, vel eo amplius homi-  
 nes una lavarentur. Hæc certissimis  
 ex auctoribus scriptoribusque decer-  
 pere ac præmittere opportunum du-  
 xi, antequam ad Flaccum Alcuinum  
 accederem, tuum scilicet, ut putas,  
 in Mediolanenses & Corii famam A-  
 chillem, qui tam aperte ceteroqui  
 per se ac enucleate de Aquisgranensi  
 urbe cecinit, ut iterum iterumque  
 mirer, tuique amore doleam, quo-  
 modo in poemate ejus percurrendo  
 tibi unquam cadere in cogitationem*

po-



*Dissertatio .*

379

potuerit Ticini nomen . En igitur  
ex Duchesnio ipso , quem in jus  
contra nos appellasti , transcripta  
Alcuini carmina , quibus profecto  
non abs re citati auctores lucis ali-  
quid dabunt , si cui fortasse opus erit,  
ut expedite magis percipiantur .

*Rex Carolus caput orbis , amor popu-  
lique decusque*

*Europæ venerandus apex , pater opti-  
mus , Heros*

*Augustus , sed & urbe potens , ubi Ro-  
ma secunda*

*Flore novo ingenti magna consurgit ad  
alta*

*Mole tholis muro præcelsis sidera tan-  
gens .*

*Stat pius arce procul Carolus loca sin-  
gula signans ,*

*Altaque disponens venturæ mænia Ro-  
mæ .*

*Hic jubet esse forum , sanctum quoque  
jure senatum ,*

*Jus populi & leges , ubi sacraque jus-  
sa capebant :*

*Insistitque operosa cohors , pars apta  
columnis*

*Saxa*



380 Jo: Pauli Mazzucheli

*Saxa secat rigidis, arcem molitur in  
altum;*

*Ast alii rupes manibus subvolvère cer-  
tant,*

*Effodiunt portus, statuuntque profun-  
da theatri*

*Fundamenta, tholis includunt atria  
celsis,*

*Hic alii thermas calidas reperire la-  
borant.*

*Balnea sponte sua ferventia mole re-  
cludunt,*

*Marmoreis gradibus speciosa sedilia  
pangunt,*

*Fons nimio bullentis aquæ fervore ca-  
lere*

*Non cessat, partes rivos deducit in  
omnes*

*Urbis, & æterni hic alii bene regis  
amœnum*

*Construere ingenti templum molimine  
certant.*

*Scandit ad astra Domus muris sacra-  
ta politis,*

*Pars super in summis populi procul ar-  
cibus ardens*

*Saxa locat solide conjungens marmora  
nexu,*

*Alte-*



Dissertatio . 381

Altera stat gradibus portantum sorte  
 receptans ,  
 Pars onera atque avidis manibus præ-  
 dura ministrat .  
 Saxa alii subeunt , volvunt ad mœnia  
 rupes ,  
 Ingentes passim fascies, cervice reflexa  
 Deponunt humeris valido sub pondere  
 fessi ,  
 Plaustraque dant sonitum , vastus fra-  
 gor æthera pulsat ,  
 Fit strepitus , magna consurgit stridor  
 in urbe  
 Itque reditque operosa cohors diffusa  
 per urbem  
 Materiam Romæ certatim congregat  
 altæ .  
 Hic alii arma parant acuentes utile  
 ferrum  
 Marmora quo possunt scalpi , & quo  
 saxa secari ,  
 Fervet opus , velutique solent æstate fu-  
 turæ  
 Pulchra hyemis non immemores alimen-  
 ta ciborum  
 Cum facere ore legunt carpentes floscu-  
 la apesque

Per



382 Jo: Pauli Mazzucheli

*Per latices, per thyma volant stridentibus alis,*

*Floribus insidunt alie, prædaque redire  
Accepta studeant, redolentia castra re-  
visant,*

*Aut fœtus alie certant educere adultos,  
Aut cum nectareas componunt ordine  
cellas*

*Roscida stipantes sinuoso poplite mella:  
Hand aliter lata Franci spatiantur in  
urbe.*

Aliis hic recensendis Alcuini carminibus supersedeo, ne tibi forte nimius videar, licet ipsa non levi adtuendam, quam ingressus sum, causam futura essent adjumento. Insuper hac in materia liberaliter tecum agere maximopere gaudeo, ne summo jure procedens injurius erga te præsertim, quem tanti facio, esse rear. Hoc unum tamen pro humanitate tua enixissime peto, ut in omnes Ticinensis urbis partes oculos singillatim intendas, perlustratisque viis, compitis, plateis, aggeribus, & ultra pomœrium quoque finitimis locis, indices mihi demum, ubi tot tantaque numero ædificia sumtibus  
& ar-



& architectura Caroli Magni elata  
nunc extant? Ubi Mænia? Ubi Fo-  
rum? Ubi Curia? Ubi Templum?  
Ubi Arx? Ubi Thermæ? Ubi cete-  
ra? Ubi denique tua illa altera Ro-  
ma, quam Papiensibus tam libere  
fidenterque imposuisti? An moles  
omnes temporis edacitate ita dirutæ  
sunt ac decoctæ, ut nullum hodie  
penitus reliquum sit vestigium, quo  
tibi fidem nostram astringas? Verum  
aliqua saltem tot innumerabilium  
pene ædificiorum memoriola vigere  
deberet apud accuratissimos ejus æta-  
tis scriptores, qui nihil plane ad ali-  
quam utcumque Caroli gloriam per-  
tinens referre, summisque etiam ex-  
ornare laudibus omiserunt. Evolve  
igitur gnaviter, evolve quotquot o-  
ctavo & nono seculo gesta ac vitam  
tanti Imperatoris literis tradidere,  
ex quibus nonnulli etiam ædes om-  
nes, pontes, palatia, porticus, ac  
Templa ipsius jussu per varias terra-  
rum Orbis partes ædificata indica-  
runt, nec uspiam leges fide mea vel  
unam tegulam in Papiensi agro, ubi  
opus erat, suffectam fuisse jussu Ca-  
roli



384 *Jo: Pauli Mazzucheli*  
roli Magni, in cujus munificentissimi  
animum evehendum memora-  
ta Alcuini carmina tam late expa-  
tiantur. Evolve gnavissime etiam  
quotquot historicorum in lucem un-  
quam dedit suis scribendis rebus  
scientiarum mater Papiæ, qui certe  
non adeo mentis inopes ac stolidi  
omnes putandi sunt, ut ipsos fuge-  
re usquequaque debuerit, lares suos  
restitutos olim ac impendiis omni-  
bus insignitos a tanto Imperatore  
fuisse, quod ita facile vel post no-  
vem prope secula te præterire ne-  
quaquam potuit. Evolve itaque  
quantusvis diligentissima illorum  
scripta, & stupore forsan defixus  
comperies, ne uno quidem excepto,  
omnes, ubi alioqui de cunctis sigilla-  
tim operibus, quæ Gothorum ac  
Langobardorum Reges, & Mediola-  
nensium Principes atque Duces, alii-  
que etiam privati viri cum equites,  
tum plebei erexerunt, minutissime  
loquuntur, nihil prorsus innuere a  
Carolo ædificatum, cum nihil reve-  
ra, nisi somnia amamus, & absurde  
desipimus, ab ipso fuerit Ticini Re-  
gii



gii extractum. Quamobrem non modo nihil, sed terque quaterque nihil cum urbe Ticinensi præcitati Alcuini versus habent, qui toti a vertice ad calcem nil nisi Carolina præferunt ædificia. Vereor profecto, amicissime Gatte, ne in te summa Aquisgranenses iracundia exardeant, quorum Civitas licet incendio pene tota consumpta fuerit anno 1656. non idcirco avitas suas laudes eo loci redactas arbitrantur, ut plena omnibus facultas sit ipsas & huc & illuc pertrahendi quocumque velint. Dolebunt quoque nobilissimi Ticinenses, qui tot domi forisque parta exhibent ornamenta, ut alienis præconiis nil utique indigeant, quo falso posterorum memoriæ commendentur. Cæterum si, quæ de præclarissimis urbium olim scripta sunt, posset unusquisque arbitrata suo, ac poetica plusquam licentia aliis & aliis libere destinare, nullus sine dubio usquam gentium adeo ignobilis oblitusque locus est, qui non ad secundæ modo Romæ, verum etiam ad primæ nomen labentibus annis se perventu-



386 *Jo: Pauli Mazzucheli*

rum sperare non possit, si nimirum grandia illa ac superba encomia, quæ de Romanorum Patria cecinere vates, historicique scripsere, sibi a quibusdam plus æquo extollendi cupidis, & plane exlegibus aliquando tribuantur. Quod exaggerandi ergo a me dici nollem ipse cogitares, cum jam longe audaciora nequid deterius dicam, præstiterint homines, quibus, cum sanum sinciput non est, nihil prorsus impervium. Perditissimus siquidem omnique scelere compactus fuit Herodes, adeo ut feris propior, quam hominibus vulgo haberetur. Inveni tamen nonnulli sunt, ut annalium memoriæ clamant, qui sanctissimum Messiaë nomen tam effræno turpique monstro indiderunt, & refragantibus circumundique Christianæ legis sectatoribus, ii deliramentum suum non alia tueri via ac propugnare conati sunt, quam Herodi per summum scelus oracula Messiaë prænuncia applicando: contra quam audacissimam hæreticorum sectam, Herodianam dictam, calamum indignantes sumserunt Epiph.



## Dissertatio . 387

phanus Hæres. 20. & Hieronymus Dialogo adversus Luciferianos . Verum antequam ab hoc argumento tuo ad alia dissolvenda me conferam, tibi ea , qua par est , reverentia significare necessarium omnino reor, non ita certum esse ac ratum penes eruditos supra memorata carmina ex Flacci Alcuini vena fluxisse , cum de iis non abs re dubitent inter alios Henricus Canisius & Andreas Duchesnius , ex quibus ea accepisse professus es . Ait enim Canisius tom. 6. antiq. Lect. *Quis sit auctor hujus poematis definire non audeo .* Et Duchesnius Canisianæ dubitationi nihil se interponit . Porro dubia auctorum opera pro certis indubitatisque proponi iudicio meo nequaquam debent , cum non ejusdem sane ponderis rationes sint , quæ ex alterutris derivantur . Imo nec rationum nomine dignari eas merito possumus , quod in causa est, cur dubiis SS. Patrum monumentis , atque etiam obscuris nimium & intricatis non utamur , cum de controversis Religionis capitibus adversus heterodoxos disputamus . Nunc



388 *Jo: Pauli Mazzucheli*

Reinesium audi virum eruditissimū ,  
 tibi que alta mente reponē , quod in  
 supracit. comment. pag. 35. prolo-  
 quitur : *Quia Palatium Lateranense*  
*aulam Cesaream expressit antiquis mo-*  
*ribus ; & inde etiam sedes Regia sive*  
*Palatium Aquisgranense Laterani co-*  
*gnomen meruit apud Ansegisum Lobien-*  
*sem Abbatem in Legibus Francicis ,*  
*perinde ut Urbs ipsa Aquisgranum ,*  
*apud veterem versificatorem equalem*  
*Caroli Magni, sive Alcuinus is est , sive*  
*discipulorum ejus aliquis , carmine de*  
*congressu Caroli & Leonis Aquis facto ,*  
*secundæ & novæ Romæ , a Carolo Ma-*  
*gno accepit . Barthius tamen lib. 33.*  
*Advers. cap. 8. & alii auctorem poe-*  
*maticis illius tradunt Ferium Helperi-*  
*cum Monachum Cœnobii S. Galli ,*  
*qui anno 1040. claruit, teste Trithe-*  
*mio in lib. de Viris Illust. Germ.*

Expedito igitur ac sublato , utut  
 potui , novæ opinionis tuæ funda-  
 mento , ad aliam propero rationem  
 eodem cap. 1. adductam , in quo ais :  
*Papiam appellatam fuisse Romam se-*  
*cundam constat ex epitaphio Manfredi*  
*de Beccaria , & Fratrum anni 1322.*  
 quod



## Dissertatio . 389

quod erat in aede cathedrali Papiæ, & refertur a Laurentio Schradero in monumentis Italiae pag. 335. cujus epitaphii initium hoc est.

Tres successive cives genuisse refertur. Roma secunda sibi claros, quos protulit orbi.

Sed bene Deus? Quid ex hoc lapide evincere posse tibi fingis ornatiſſime Gatte? Memini me, cum adhuc puer essem, legiſſe apud Ottonem Aicher in Horto variarum inscriptionum epigramma a J. Cæsare Scaligero in laudem nobiliſſimæ Avenionensium civitatis concinnatum, quod cum mihi nondum memoria exciderit, oculis tuis libens subjicio.

*Vivendi ratio cum libertate recepta*

*Efficiunt, ut sis altera Roma tibi.*

*Templa, Forum, celso subducta palatia celo:*

*Magna hæc te, plus est, dicere posse tuum.*

An putas idcirco Avenionenses viros cordatissimos urbi suæ, nequo ipsa laudis genere vacaret, secundæ Romæ cognomentum arripere voluisse? Perlege, cum tibi commo-

R 3 dum



390 *Jo: Pauli Mazzucheli*  
 dum erit, & diu noctuque perlege  
 eorum annales, quos abhinc annos  
 triginta duos satis accurate Sebastia-  
 nus Fantonus Castruccius in lucem  
 emisit, nec unquam in hanc mentis  
 infirmitatem procubuisse illos alicu-  
 bi invenies. Habent enim tot nume-  
 ro insignia ac ornamenta ex fidissi-  
 mis historiarum memoriis petita, ut  
 inter recentium poetarum versus glo-  
 riam sibi mendicare erubescant. Nam  
 ut egregie Lyricus

*Pictoribus atque Poetis*

*Quidlibet audendi semper fuit aequa po-  
 testas.*

Ne me tamen credas ita rationis  
 inopem, ut poetam esse rear (quod  
 Deus avertat) miserrimum illum  
 versificatorem, si tanti etiam putan-  
 dus est, a quo perperam & insulse  
 nimis assutum Manfredi epitaphium.  
 Optime enim video ipsum invitis  
 omnibus musis progenitum: quin  
 ne grammaticum quidem fiet un-  
 quam ut credam, si me vel loco fra-  
 tris habere velles. Quod ut aperte  
 innotescat, totum tibi lapidem da-  
 bo prout pag. 355. non 335. extat in  
 ope-



*Dissertatio .*      391

opere Schraderi edito Helmæstadii  
anno 1592.

*Tres successive cives genuisse refertur  
Roma secunda sibi claros quos protulit  
urbi*

*Ordine quemque suo Mirrum, Carum-  
que secundo*

*Terno Manfredum, quos omnes de Be-  
caria*

*Protulit unica stirps, populi totius ho-  
norem*

*Semper adornantes, populum nam sem-  
per amabant,*

*Et populus gratos dominos hos semper  
habebat*

*Quos tribus hic tumulis noscatis esse se-  
pultos.*

*MCCC.XXII. Die Lunæ Men. Mart.  
obiit Dominus*

*Manfredus de Beccaria.*

Hoc autem epitaphium, seu po-  
tius obtusi animi delirium, non in  
æde cathedrali, ut traditur ab ado-  
lescente Schradero natione Germa-  
no, quem facile nimis subsecutus es,  
sed in Templo S. Mariæ Populi nun-  
cupato olim extitisse testis fide di-  
gnior nobis est eruditus vir Stephe-



392 *Jo: Pauli Mazzucheli*  
 nus Marinus Papiensis, qui in libro  
 cui titulus *Beccariae Gentis Imagines*,  
 reimpresso, post annos quatuorde-  
 cim ab editione prima, Ticini ann.  
 1598. pag. 51. idem exhibet monu-  
 mentum, sed non iisdem omnino  
 verbis, cum se ipsi emendando re-  
 farciendoque immiscere ausus nequa-  
 quam fuerit, necui historiae leges  
 parum callere videretur. Quare ut  
 de tuo rerum hujusmodi fideliter  
 sciendi cupidissimo bene merear in-  
 genio, ipsum transcribere, uti pe-  
 nes Marinum jacet, opportunum  
 hic arbitror.

*Tres successive cives genuisse effertur  
 Roma secunda sibi claros, quos protulit  
 orbi*

*Ordine quemque suo, Murrum, Ca-  
 rumque secundo,*

*Tertio Manfredum, quos omnes de  
 Beccaria*

*Stirps una produxit, populi totius ho-  
 norem*

*Semper gerentes, populo namque sem-  
 per hærebant,*

*Et populus gratos Dominos hos semper  
 habebat,*

*Quos*



## Dissertatio . 393

*Quos tribus hic tumulis noscatis esse sepultos .*

*1322. die Lunæ vigesimo secundo Mensis Martii obiit Dominus Manfredus Beccaria .*

Nunc sine te exorari jurisconsultissime Gatte , & mihi licet immerenti quæso pro humanitate tua responde . Si ab excultis Scaligeri verbis viri orbe toto celeberrimi , qui anno 1558. in senium proventus naturæ concessit , licuisse sibi nunquam huc usque Avenionenses crediderunt argumenta trahere ac rationes , quibus , nemine etiam offenso , alterius Romæ vocabulum civitati suæ imponerent , cur tu ex malenato infulsissimi hominis cantu validum educere argumentum posse arbitratus es ad vendicandum Ticinensium mœnibus secundæ Romæ characterem , ut Patriam nostram ipso , in vita tot tantorumque seculorum possessione , expoliare , & turpem mentionis contumeliam in Corii equitis præstantissimi faciem impingeres ? Ego profecto , quippe tui amantissimus , si hac in re consilio tibi un-

R 5 quam



394 *Jo: Pauli Mazzucheli*

quam fuisse, non tam preces omnes, quam vim etiam peramice adhibuiffem, ut de inculto adeo rudique epitaphio ne verbulum quidem faceres, cum non modo infirmum & elumbe prorsus fit ac irritum ad secundæ Romæ gloriam Ticinensibus demerendam, verum etiam non leve forsan creare tibi negotium potest, qui cap. 16. Historiæ tuæ adversus Corium, Paulum Merulam, Schraderum, pluresque alios iratus exclamas viguisse scientias Papiæ seculo decimo quarto. Quis enim hæc ita fuisse sibi facile persuasum habere poterit, etiam si ad insaniam usque te coleret, statim ac videat epitaphium illud per ea tempora exaratum, quo nihil levius, nihilque imbecillius, ac magis latinæ grammaticæ regulis alienum esse potest, cum alioqui credendum omnino sit virum aliquem tunc scientissimum in peragenda inscriptione ea adhibitum fuisse, dum agebatur de Manfredo Beccaria, Principe nimirum & Domino Papiensis urbis ac Provinciæ, cujus im-

pe-



## Dissertatio. 395

perium a majoribus ipsi demandatum in posteros suos feliciter ad annos multos etiam perduravit . Scribit enim synchronus Petrus Azarius in Chron. MS. sub tit. Matthæi Vicecomitis : *Eam civitatem ( scilicet Papiam ) & universum districtum , nemine discrepante , possidebat Domus illorum de Beccaria potens ultra modum & infinite dives : nec mirum , quia Dominium ipsius civitatis rexerant annis 43. pro libito voluntatis . Verum ut in rem hanc , quæ a te nobis , velut permagni ponderis argumentum , ob oculos proposita est , accuratius inquiramus , utque probe sentias , quanti revera momenti ratio sit , quæ ejusmodi lapidibus educi possit , fac Viglevanensium aliquis , vel Bobiensium , ut placet , epitaphium sua nostris hisce diebus in patria exaret , in quo secundæ Romæ titulum Viglevano , vel Bobio fidenter adscribat . Quid enim prohibet ab aliquo mentis inope , vel nimium Patriæ amante hoc fieri , cum viginti circiter abhinc annis in describendis miserimis Breunorum alpes habitan-*



396 *Jo: Pauli Mazzucheli*

tium oppidulis non exhibenda minus in lucem dederit bonus ille vates Jacobus Genora, quem superi adhuc servant. An putas idcirco cives nostros in arma & praelia ituros eam adversus urbem, quasi de summa rerum, & Patriæ incolumitate ageretur? Minime gentium profecto: Unusquisque nostrum id delirii, ut par est, joci exciperet, & Viglevanenses ipsi, vel Bobienses prudentiores talia perlegendo risu emori viderentur. An putas succedentibus annis, post tria scilicet aut quatuor secula, fore ut aliquis jure uti possit lapide illo ostensurus Viglevanum aut Bobium nuncupandum esse alteram Romam? Nequaquam certe. Quotiescunque enim cerebro quis laborans talia hiscere audebit, ab ipso semper secundum leges historiæ receptissimas exquiretur, ut indicet, ut nominet, quonam monumento vel auctore innixus fuerit ejus epitaphii scriptor in arrogando patriis laribus secundæ Romæ cognomento. Porro si nihil penitus ad satis obortæ quæstioni faciendum priscis seculis



*Dissertatio.*                      397

evocari poterit, ut ulla absque hæ-  
 sitatione eveniet, illico secunda Ro-  
 ma contra jus arrogata in fenum  
 evanescet, iterumque posteris am-  
 plissima ridendi fiet materia. Nunc  
 proxime ad te venio, incomparabi-  
 lis Gatte, qui lapidem sepulcra-  
 lem Fratrum de Beccaria in argu-  
 mentum arripis contra nos, velut  
 magnum quid tibi militans, & eni-  
 xe a te peto. Habesne monumen-  
 tum aliquod faciendæ fidei natum,  
 cui superbus ille epitaphio inscul-  
 ptus secundæ Romæ titulus pro ve-  
 ritate inhæreat? Si tibi est, edoce  
 nos tandem aliquando, sed quæso  
 ne, quæ Aquisgranensium aliorum-  
 ve sunt, tamquam causæ tuæ pro-  
 priis utaris. Si cares, æterno mar-  
 mor illud silentio præteri, quod for-  
 tasse non aliud probat, quam a Mu-  
 sis, gratiisque sejunctum apud Ti-  
 cinenses fuisse illud seculum, quo  
 natum est, cum tu contra scientiis  
 adeo floridum extitisse contendis.  
 Ceterum ejus generis saxa, quæ se-  
 cundæ Romæ titulum præferant,  
 nobis in Patria nec defuerunt, nec  
 de-



398 *Jo: Pauli Mazzucheli*

desunt, quoties ipsis utendi cupido  
esset, & si quod tibi intueri placet,  
en monumentum illud in Metro-  
politana Urbis nostrę Basilica integrum  
adhuc extans sub marmorea Statua  
Martini Quinti Romani Pontificis,  
qui anno 1418. die 16. Octobris A-  
ram Maximam ejusdem Basilicę,  
astantibus undecim S. R. E. Cardina-  
libus, solempni pompa consecravit.  
*Cerne viator ave, hic stat imago simil-*

*lima Pape,*

*Qui bonus Ecclesiam Martinus in ordi-  
ne Quintus*

*Pastor alit: tibi, Roma, tuę tibi glo-  
ria gentis*

*Quam parit alta Domus celebrata Co-  
lumna per orbem.*

*Mundus erat longo Ecclesię vexatus in  
annos*

*Schismate. Concilium Constantia fir-  
mat, & ecce*

*Otho Columna potens magno de cardi-  
ne summus*

*Praesul hic eligitur; merito velut ante  
creator,*

*Surgente Ecclesia, super alta cacumi-  
na Petrę*

*Mox*



## Dissertatio. 399

Mox voluit fundare suam, sic peste ca-  
dentem

Schismatis hac firma statuit stabilire  
columna;

Hic repetens primæ sua sancta palatia  
Romæ,

Hanc prius amplificam, quæ ROMA  
SECUNDA vocatur,

Urbem adit: hoc Altare sacrat: cele-  
brat quoque Missam,

Primus & hic venias grandes, miras-  
que salutis.

Pro fabrica Ecclesiæ bona dantibus ad-  
dit habendas;

Praesertim almifici cum festæ dicatio  
Templi

Venerit, atque die præstante, sequen-  
teque festum.

Ista Duce Anguigero Ligurum regnante  
Philippo

Imperioso Italis, per justaque bella tre-  
mendo

Mille quatercentum octavo, decimoque  
sub annis,

Et sexto, decimoque die tum Octobris  
euntis

Facta colenda manent ad honorem Vir-  
ginis almae.



400 *Jo: Pauli Mazzucheli*  
*Carminis est Bripus Joseph ordinarius*  
*auctor,*  
*Doct̄or Canonici Juris, sacræque Ma-*  
*gister*  
*Theologia; ast hic præstantis imaginis*  
*auctor*  
*De Tradate fuit Jacobinus in arte pro-*  
*fundus;*  
*Nec Prasitele minor, sed major farier*  
*ausim.*

Hujusmodi autem lapides, ut optime rem perpendenti innotescet, earum tantum nobis rerum fidem spondere possunt, quibus coævi sunt, & quarum gratia literis exarati, si qua vero obiter, & ut vulgi sermone fertur, per transfennam innuunt, quæ ad antiquiora tempora remotioresque ætates pertineant, ne audiendi quidem sunt, nisi ex vetustis seculis præsto sint monumenta, quæ fidem suam apud nos de earum rerum veritate interponant. Lapis itaque Ticinensis testis est, de quo nemini, nisi ad amentiam redacto, dubium esse potest, multoque minus abnuere licet Manfredum de Beccaria e vita cessisse anno 1322.



*Dissertatio.* 401

fratresque duos illi fuisse, quorum unus Murri nomine, alter Cari appellabatur, quousque ut præclaræ indolis Principes eximio Papienses amore prosequerentur. Ticinum vero nuncupari secundam Romam, etsi allata inscriptio ferat, non tamen vel minimum probat, nec post centum quoque secula fundamento Ticinensibus esse poterit, ut excelsum adeo inclytumque sibi cognomen adsciscant, cum res altioris indaginis sit, nec ad tempora spectet, quibus marmor infelici epigrammate illo deformatum miserime fuit. Sic præcitatus etiam Mediolanensium lapis testis quodammodo oculatus est, inter alia, consecrationis Aræ Maximæ Templi nostri Metropolitanæ, quam Beatissimus Pontifex Martinus Quintus habuit trecentis prope ab hinc annis, adeoque ipsi fides hac in re omnis adhibenda est. Non eodem tamen modo secum nobis agendum, ubi nostræ Patriæ tribuit secundæ Romæ cognomentum. Quamvis enim Sac. Theologiæ Magister, & quod caput est, Juris Doctor



402 *Jo: Pauli Mazzucheli*

ctor fuerit Joseph Bripius Mediolanensis Inscriptionis auctor, ipsoque Papienses veluti Oratore ac Poeta præclarissimo usi fuerint, ut ad SS. Patrem Martinum Quintum Ticino transeuntem Orationem haberent undecima Octobris die anni 1418. & metrica salutatione Sigisfundum Imperatorem exciperent octavo Kal. Aprilis anni 1431. quæ ambæ MS. in Bibliot. Ambros. adhuc visuntur, non ideo facultatem ipsi extitisse credimus tam grandis tituli Patriæ nostræ conferendi, cum Deo favente nondum mentis lumine careamus. Et certo certius si Corio, Bossio, Isolano, Littæ, Bugato, Castellio, Morigiæ, Besutio, Castilionæo, Borrono, Villæ, Cavatio, ceterisque innumeris prope scriptoribus nostris haud aliud fuisset, quam hoc marmor, & sexcenta hujus similia ad alterius Romæ gloriam Mediolano asserendam, primum mehercule nunquam tali tantoque nomine Patriam induissent, ut frequenter suis in libris præstiterunt; deinde illa jamdiu ab oculis omnium omnia ita eliminassent, ut in rerum



natura non amplius reperirentur, quemadmodum a te allato Manfredi de Beccaria epitaphio dudum jam apud sapientissimos Papienses evenit; ne scilicet penes finitimos urbs nostra in fabulis esset, & advenarum ludibrium evaderet. Qui enim privata lapides auctoritate eriguntur, quantacumque ea sit, non tamen tanti sunt, ut publicam in ejusmodi rebus sibi fidem devincire possint, nisi forsitan publica & ipsi auctoritate erectis antiquitus monumentis innituntur, vel alio documentorum genere, quæ litteratus orbis omnium assensu digna cognoscit.

Sed ne longius progrediar, ut opus omnino esset, si satis materiæ facere vellem, ad primum historiæ tuæ caput revertor, in quo etiam lego: *Quam rem* (scilicet Papiam appellatam fuisse secundam Romam) *testatur epigramma leoninum, marmore incisum in ingressu pontis ad dexteram.*

*Quisquis in hac intrat deflexo poplite,  
dicat*

*Dic prope, qui transis, qui Portæ li-  
mina tangis,*

Ro.



404 *Jo: Pauli Mazzucheli*

*Roma secunda vale, Mundi caput Imperiale.*

*Tu bello Thebas, tu sensu vincis Athenas,*

*Te metuunt Gentes, tibi flectunt colla potentes.*

*Quod Corius Historiæ Mediolanensis par. I. male transfert ad laudes Mediolani, & temere autumat lapidem illum fuisse Papiam delatum a Joanne Galeacio Vicecomite. Verum nimia, ut ego censeo, Mediolanensium Historicorum Principem injuria profcindis, & vehementiore scribendi æstu concitari te finis, quam spectatissimus prudentiæ tuæ mos ferat. Animum tamen, si fieri unquam potest, paulisper compone, & brevibus a me verbis excipe, quod Corius nobilitatis suæ non oblitus urbanissime refert: *Inde volse che Milano si nominasse ROMA SECUNDA, e sopra de la Porta Romana misse in marmoro questi Versi a perpetua gloria de sì inclitya Città, li quali dappuoi Galeazzo secondo ponere fece in marmorea tavola sopra il ponte del Ticino a Pavia. Qua vero de causa ad Mediolanensis lapidis**



dis exemplar, rude quoddam saxum  
 Papiæ incidi curaverit astutissimus  
 Princeps Galeatius Vicecomes, jam  
 accepisti ex Joanne Sitono viro no-  
 stra ætate futuraque memorandæ e-  
 ruditionis in rebus, quæ ad Patriæ no-  
 stræ nostrorumque civium gloriam  
 & nobilitatem pertinent. Hac enim  
 eadem in quæstione tecum peragen-  
 da exaratum plane reliquit part. 2.  
 Chron. Coll. Judic. Mediol. pag. 138.  
*Ne Ticinenses alterius maximæ, muni-  
 tissimæque arcis recentem substructionem,  
 in supercilio declivis urbis ad Boream  
 iniquo animo paterentur, in ejusdem pon-  
 tis ingressu ad dexteram (una cum præ-  
 grandi Vipera, Vicecomitum scilicet gen-  
 tititio stemmate, marmore insculpta)*  
*sequentibus versiculis marmorea tabula  
 ibidem incisus deliniri jussit.* Ceterum  
 marmor istud, ut prætereuntium o-  
 culos minime adducit, teste Petro  
 Paulo Bosca in Hist. de orig. & statu  
 Biblioth. Ambros. lib. 3. pag. 107. ita  
 nec Ticinensium animos unquam  
 permovit. Quod nemini tamen vel  
 leviter ejus temporis historiarum pe-  
 rito admirationi esse potest. Galea-  
 tius



406 *Jo: Pauli Mazzucheli*

suis enim ( ut rem a capite innuamus ) amissa Astensis urbis, & Albæ, ac Januæ quoque dominatione, magno in Papienses odio suffusus est, quasi non levi eorum ope & consilio summa illa imperio suo enata fuissent detrimenta. Quare concitatis primum acerrimis inter Ticinenses eosdem discordiis, sejunctisque omnium animis, ad ipsorum postea urbem ingentibus copiis obsidendam convolavit. Sed cives Jacobi Buffolarii Augustiniani Ordinis alumni concionibus vehementissime incensi ad eo Galeatii Principis viribus restiterunt, ut non nisi post annos septem igne, ferro, siti, ac fame absumti se in deditioem concesserint. Spoliatis itaque libertate omni Papiensibus, jugum arcis etiam ipsis graviori ob hoc tristitia confectis imposuit: ne tamen ad tumultum defectionemque res forsitan vergeret, utque eorum mœrorem aliquantulum deliniret, duos in Papiæ laudem ac solatium erigi lapides jussit; primum, de quo novissime per te dumtaxat altercatio nobis orta est, ad caput nunc  
pon-



*Dissertatio .*                      407

pontis eductum , qui Ticini ripas  
conjungit , alterum in fronte arcis  
supra portam ad viridaria perducen-  
tem, quem tibi affero , ut in Galeatii  
secundi vita ab Jovio exhibetur .

*Hac Galea Galeaz castrum defendit  
& urbem ,*

*Et ferus oppositos violenter comprimit  
hostes ,*

*Inque fugam vertit timidam mucrone  
potenti ,*

*Tractavitque suos ut fratres frater a-  
micos ,*

*Et sibi subjectos cultu pietatis, & omnes  
Defendit populos , sibi quos Divina po-  
testas*

*Credidit , & longam dabit his per tem-  
pora pacem ,*

*Præ cunctisque piam mens est servare  
Papiam .*

Opprimendis tamen ac ligandis Pa-  
piensibus non abstinuit Galeatius ,  
quamvis in benevolentia & amoris  
argumentum erga eos duo hæc ob  
omnium oculos educi marmora vafer  
admodum curasset . Nam ut Petrus  
Azarius in Chron. MS. sub tit. Ga-  
leatii scribit : *Continue D. Galeaz ve-  
nuit*



408 *Jo: Pauli Mazzucheli*

quit in Mediolano obsides in magna quan-  
 titate de potentioribus terrarum infra-  
 scriptarum, & de Guelphis, & de Gi-  
 bellinis, videlicet de Placentia, Terdo-  
 na, Alexandria, & potius de Papiæ, de  
 qua voluit habere universos Primores  
 utriusque partis, & tenet de presenti, &  
 dicitur quod illi de civitate Papiæ sunt  
 quadraginta imo & ultra. Verum ab  
 instituto meo nimis deducor, dum  
 te rerum, de quibus scripsisti, certio-  
 rem facere conor. Quo igitur ad id  
 me revocem, unde discessi, tecum  
 amice ratiocinando sic alloquor. Si  
 superius allata Bernardini Corii ver-  
 ba historicæ veritatis candore procul  
 unquam essent, non defuerunt vel  
 a primordio Ticinensibus viri longe  
 eruditissimi, qui ipsum cito citius  
 falsum ac mendacem ubique gen-  
 tium diffamassent. In vivis adhuc  
 erat *Jacobus Gualla* summa apud Pa-  
 pienses nobilitate conspicuus, & re-  
 rum Patriæ indagator, quantum  
 vix credi potest, vigilantissimus,  
 cum typis excusas in lucem protulit  
 Corius Mediolanenses Historias,  
 nec tamen de Corio tunc temporis  
 vel



## Dissertatio . 409

vel minimum ea super re auditum  
 querimoniam fuit, cum fortasse ma-  
 gis, quam scriptor noster, perspectam  
 sui lapidis historiam Ticinenses ha-  
 berent. Eodem mox seculo floruit  
*Bernardus Saccus*, vir & ipse generis  
 dignitate inter Papienses eximius,  
 qui tam vehementi erga Patriam a-  
 more exarsit, ut levissima quæque  
 graviter accipiens, nemini prorsus  
 scribendo ignoverit, qui vel a longe  
 civium suorum nomen offendisse vi-  
 deri aliquantulum posset. Quamob-  
 rem væ Corio, si quid in specie dum-  
 taxat nactus fuisset ille, quod menda-  
 cii bona etiam fide prolati arguere  
 potuisset. Non enim profecto seram  
 hanc tibi, Gatte eruditissime, ipsius  
 discerpenti provinciam reliquisset,  
 quam detecta fronte in tot alios su-  
 scepit. Sed evulgata nimium, scri-  
 bentibus Gualla & Sacco, vel ultimæ  
 plebi res erat; unde consultius am-  
 bo duxerunt ne verbulum quidem de  
 lapide illo suis inserere libris, perin-  
 de ac si nec tunc, nec antea Papiæ  
 unquam fuisset, cum ceteroqui in  
 levioris momenti inscriptiones alias,



410 *Jo: Pauli Mazzucheli*

licet tam aperto in loco minime ex-  
rantes, oculorum aciem conjicere, &  
longa texere commentaria non omi-  
serint. Sub idem tempus *Stephanus*  
*Breventanus*, & post annos aliquot  
*Antonius Maria Spelta* congerendis  
ex antiquitate memoriis operam de-  
derunt; uterque Ticini natus: uter-  
que Ticinensium gestorum non tam  
historicus, quam præco; nec tamen  
adversus Corium lapidem movere,  
ac litem intentare unquam somnia-  
runt, cum ipsis quoque perspectissi-  
ma rerum veritas esset, quam certe  
muta & oscitante patientia, si læsam  
vidissent, ferendo non erant. Imo  
Spelta accuratissimus Papiensium in-  
scriptionum collector, Guallæ & Sac-  
ci secutus exempla, penitus marmor  
illud dissimulat, ac si Ticini ponte  
interdictus nunquam aspiciendi lo-  
cum ejus, quin etiam nec transcripti  
saltem ab aliis exempli facultatem  
accipiendi habuisset, & Breventanus  
ita celeriter ac cursim attingit, ut de  
secundæ Romæ titulo Papiæ ascri-  
bendo nihil inferat, nihil mussitet,  
nihil innuat. At infinitus essem, si  
Tici-



*Dissertatio.*                      411

Ticinenses omnes, qui de patriis rebus aliquid memoriae prodiderunt, recensere singillatim hic vellem, & parva hæc dissertatio magnum dubio procul in volumen excresceret. Ideo brevibus verbis. Quotquot Papiensium de Papia urbe seculo decimo-sexto scripserunt, inter quos Guallam enumero natum anno 1444. nihil de Corio utique conquesti sunt: imo ratam constantissimo silentio suo lapidis narrationem habuerunt, uti fidissimis annalibus nostris enunciatur. Quotquot etiam ex Papiensibus decimo septimo seculo aliquid utcumque ad Patriam spectans in lucem ediderunt, nunquam inficiari ausi sunt inscriptionem suam jussu Galeatii Vicecomitis erectam fuisse; quin etiam unanimi pene consensu omnes, quorum mihi saltem, summa adhibita diligentia, videndi fors fuit, ipsam semper ignorare tutius ac laudabilius, quam innuere reputarunt. Numquid ergo decimum-octavum seculum liberanda veritas expectabat, quo ineunte tua Gymnasii Ticinensis historia in Reipublicæ literariæ



412 *Jo: Pauli Mazzucheli*  
 conspectum se dedit? At quis homi-  
 num credat te, licet doctissimum,  
 eruditissimum, sapientissimum, exte-  
 rum tamen, post emensa jam duo se-  
 cula ab editione Corii, vidisse quæ  
 præteritis omnibus temporibus ne-  
 mo unquam Ticinensium vel somniis  
 agitatus excepit? Saltem vero novi-  
 tatis hujus monumentum aliquod  
 indicares, qua non tam de mendacio  
 Corium, quam Papienses omnes de  
 stolidissima turpissimaque oscitatio-  
 ne criminari videris. Nullum tamen  
 prorsus appellas, quod tibi fidem fa-  
 ciat, nec aliquod certe æternitate to-  
 ta nactus es, nisi scripta sufficere in  
 posterum exordiantur falsarii, qui-  
 bus a Christo nato in diem hanc se-  
 cula omnia flebiliter perturbata con-  
 spicimus. Quousque igitur a Papien-  
 sibus, ut par erat, Papiæ historiæ  
 conscriptæ sunt, nullum omnino su-  
 per inscriptione ea inter nos & ipsos  
 litigium exarsit: nec aliquod pru-  
 denter olim timendum est, dummo-  
 do de Regia Ticini urbe Ticinenses  
 loquantur, quoniam propria in do-  
 mo hospites ac peregrini numquam  
 futu-



## Dissertatio. 413

futuri sunt, utpote ingenio amplissimi, nec minori iudicii laude conspiciui. Tu vero homo extraneus, cum partes a quopiam aliquid haud peterent, litem tuo Marte creasti. Tu insuper arbitrio tuo insciis utrisque nostrum te iudicem constituisti. Tu demum inaudita Patria mea pro Papiensibus sententiam pronunciaisti, cumque hi, quamvis per te victores, recenti ac commentitia huiusmodi lite offensi potius quam decorati honorarium tibi nullum persolvere optimum duxerint, seu nil amplius votis tuis nummorum elargiri, nullamque tui rationem habere, scripta omnia alia ipsorum gratia cineribus dedisti indignabundus & clamitans, ut *Ephemerides Litterariae*, vulgo *Il Giornale de' Letterati* tom. 4. nuper Venetiis edito testantur, tuis ab urbe Ticinensi responsum studiis ac laboribus non fuisse. Merito tamen, idque iurejurando etiam tibi assero, de tam præclara & nobili gente haud quereris, ornatissime Gatte, cum nullum tibi, maxime adversus nos, scribendi negotium injunxerit, nec un-



414 *Jo: Pauli Mazzucheli*

quam, quod ipse sciam, peregrino calamo tuo indigere arbitrata sit, postquam a civibus suis peritissimis Gualla, Sacco, Breventano, Spelta, Petragrassa, Romualdo, aliisque plurimis res patriæ abunde posteris demandatæ fuerunt, queis omnibus nunquam certe in mentem venit expoliandi secundæ Romæ cognomento Mediolanum, ut urbem suam, velut Æsopi corvum, aliarum pennis induerent. Quapropter hanc ego semper opinionem constanter habui, historicos, qui de rebus exteris scribendo dant operam, alienisque factis evolvendis se immiscent, in errores sæpissime prolabi, vel quod falsum obducta sibi veritatis specie fucum iis facillime, uti alienigenis, facit, vel quod nimio rerum augendarum studio correpti in ampullas & somnia poetarum erumpunt. Quamobrem id aliquando assequuti sunt, ut illis ipsis minimum placuerint, quorum gestis evulgandis diu noctuque improbo desudarunt labore; imo ex iis plurimorum invidiam sibi non raro pepererunt, qua maxi-

mo



mo sui nominis detrimento male habitum sunt, & inclementer accepti. Historiam Anglicanam libris 26. comprehensam edidit Polydorus Virgilius Urbinas, dicavitque Regi Henrico Octavo anno 1533. At ejus labore adeo stomachatum est Regnum illud, ut non modo ipsi honorarium nullum expedierit, verum etiam iratus plus nimio Henricus Savilius exclamaverit Præf. in rerum Angl. Script. *Polydorus ut homo Italus, & in rebus nostris hospes, & quod caput, neque in Republica versatus, nec magni alioqui vel judicii vel ingenii, pauca ex multis delibans, & falsa plerumque pro veris amplexus, historiam nobis reliquit cum cetera mendosam, tum exiliter sane & jejune conscriptam.* Bernardus etiam de Vargas Hispanensis ex ordine Deiparæ Virginis de Mercede, & Paulus Morigia civis noster Jesuatorum alumnus, aliique de origine Fratrum S. Basilii Armenorum, currenti calamo, ac si de propria domo scripserunt; sed hoc eis adeo infeliciter cessit, ut Gregorius Bitius Armenus Frater in



416 Jo: Pauli Mazzucheli

Historia sui Ordinis , quam anno  
1640. concinnavit , de ipsis justiffi-  
me conquestus fuerit clamans pag.  
61. *Dalla sopranarrata historia potrà  
il pio lettore chiaramente conoscere ,  
quanto alcuni autori habbino scritto co-  
se lontane dalla verità , come fece F.  
Bernardo de Vargas nel lib. 1. della  
sua Cronica della Beata Vergine della  
Mercede , e Paolo Morigia Gesuato  
nel Sommario Cronologico lib. 4. nel  
quale mostra aver poco letto , e meno  
essere stato diligente in rintracciar l'ori-  
gine nostra . In Societatem quoque  
Jesu , cujus instituta ac leges non fa-  
tis callebat , scripsit data occasione  
quadam æterno nunc conssepulta si-  
lento I. B. Castaldus , quod adeo  
molestè tulit celeberrimus P. Joan-  
nes Rho , ut eum aperte postulave-  
rit lib. cui titulus : Interrogationes  
Apologeticæ , pag. 17. his verbis .  
*Non ego tibi Castalde rerum nostrarum  
inscientiam objicerem , nisi de illis dis-  
putares ; neque enim tanti nos facio ,  
ut magna eruditi viri in laude repo-  
nendum putem , si quis Rempublicam  
vostram , leges ac mores calleat ; su-  
per-**



## Dissertatio . 417

O perbum hoc esset, atque hominis longe  
 i. vanissimi. Verum qui eos arguere, qui  
 g. carpere, ac vellicare, atque, ut mi-  
 à tissimo utar verbo, disputare de illis  
 , voluerit, hunc animo illa prius cognita  
 2. atque explorata habere debuisse non du-  
 7. bito. Fac enim nos formicinum genus  
 a esse, quos omnes supposito proteras pe-  
 a de; fuerat nihilominus hominis pruden-  
 10 tis de formicis disputaturi, illarum pri-  
 el mo cubilia & Rempublicam nosse; quod  
 10 a te neglectum jure quidem ac merito  
 i. tibi objicio, ac nisi senectuti tue parce-  
 e rem, hujusmodi inscientiam, que ca-  
 1. lumnias e sinu effudit, gravius casti-  
 e gare. Et sane tibi non Ticinensium  
 1. modo, pro quibus arbitrio tuo, &  
 O a nemine exquisitus pugnabas, aper-  
 1. ta esse tabularia debebant, verum  
 1. etiam nostra, ne contra nos anda-  
 S batarum more in certamen descen-  
 . deres. Tunc enim consulta rerum  
 1. veritate, inspectisque sedulo vete-  
 1. rum scripturarum memoriis, quæ a  
 1. te certo scribi possent, quodque tibi  
 1. aggrediendum iter foret, clarissime  
 1. vidisses. At tu profecto vix a limine  
 1. (quod pace tua dixisse velim) vix



418 *Jo: Pauli Mazzucheli*

Inquam a limine salutatis utrorum-  
que nostrum cartophylaciis, expe-  
ditior quocunque alio rem omnem  
præclare confecisti, eripiens scite  
admodum nobis, quod Papiensibus  
liberaliter elargireris. Unde factum  
est, ut hi ab hujus generis laudibus  
abhorrentes, nihil tibi acceptum po-  
stea retulerint, & cives nostri mirati  
sint, te nec publice nec privatim ab  
ullo ex nobis offensum in omnes clas-  
sicum canere voluisse.

Si nulla tamen, nescio quo fato,  
te archiorum introspectendi cepit co-  
gitatio, perinde ac si nova scriben-  
di memoriter historias regula facta  
esset, invisere saltem, antequam ad  
nos extra rem lacessendos, & Co-  
rium probris onerandum erumperes,  
invisere saltem inquam debebas, a  
quo non longe distas, Ticinensem  
lapidem, quod mane aliquo facilli-  
me inambulando præstare poteras,  
orto jam sole, ut planius ipsum in-  
spiceres. Pervidisses enim ejus in-  
scriptionis characteres non aliam ad-  
summum, nisi Galeatii Secundi æ-  
tatem præferre, qua antiquiores  
effin-



*Dissertatio.*                      419

effingere humanus non patitur oculus, licet muta eorum temporum foret historia, nihilque de ipsa Corius noster prodidisset, imo quamvis falsi omnes hac super re mendacesque scriptorum codices essent. Etenim sua literis facies, & lineamenta quædam sunt, quibus, nisi surditatem libeat simulare, seculi, pene dixerim, admonemur, quo ipsæ marmoris traditæ a lapidicida fuerunt. Nec sane est, quod nunc forsitan excusationis ergo nobis afferas, tibi hujusmodi characterum scientiam non innotescere. Nam quantumvis hoc errori tuo gratificaturus veniam mereri non tam concederem, quam aliquo etiam in speciem argumento probarem, priusquam tamen litem hanc nobis injuriosam, & Ticinensibus ingratam impingeres, adeundi tibi erant viri hac in materia, ceterisque ad antiquitatem spectantibus eruditi, inter quos principem certe locum obtinet celeberrimus Ludovicus Antonius Muratorius amicissimus tuus, qui de Papiensi la-

S 6                      pide



420 *Jo: Pauli Mazzucheli*

pide verba faciens Tomo secundo  
 Anecd. edito anno 1698. pag. 278.  
 apertissime dicit: *ante annos tantum  
 trecentos lapidem exaratum fuisse cha-  
 racterum forma luculenter prodit* :  
 Hunc tam insignem virum si bona  
 sorte audisses, ut non amicitia mo-  
 do, quam tibi maxime invideo, *sed  
 ejus scientia, & ratio postula-  
 bant, nunquam in Corium, de to-  
 ta Italia adeo benemeritum ob hi-  
 storias, calamum sumfisses, qui  
 nil ulterius utique scripsit, quam  
 quod se solo lapis mundo toti o-  
 stendit, quodque legendi sciens Mu-  
 ratorius in eruditissimis Anecdotis  
 suis, muto etiam Corio, exarasset.*  
 Quis enim solem aspiciens suo no-  
 lit oculo credere ipsum esse, nisi  
 prius ab aliquo scriptorum id ac-  
 cipiat? Profecto si hæc ab ullo fie-  
 rent unquam, multo is helleboro  
 indigeret, firmisque vinculis coer-  
 cendus esset, ne pedetentim in gra-  
 vius quid abiret, & se aliquando  
 præcipitem daret. Si igitur Galea-  
 tii ætate sculptus cernitur, manu-  
 que, prope dicerem, tangitur la-  
 pis,



## Dissertatio. 421

pis, & in fronte primum Ticinen-  
 sis Portæ erectus fuit, ut monet  
 Breventanus cap. 3. Hist. Ticin. non-  
 ne jussu Galeatii id omne peractum  
 esse satis videtur, sub cujus seve-  
 rissimo ac tyrannidi proximo im-  
 perio nemo quidem Papiensium ar-  
 bitrio suo volebat urbis portas, quæ  
 Principis sunt, reficere, monumen-  
 tisque exornare, velut propriam  
 domum. In quo itaque temerita-  
 tis notam promeretur Bernardinus  
 Corius, si illud scriptis dumtaxat  
 prodidit, quod hodieque transeun-  
 tibus perhibet ipsemet lapis. An  
 tibi in posterum temerarius etiam  
 lapis videbitur, quoniam nunc  
 tandem intelligis ipsum primo a-  
 spectu suo satis superque ostendere  
 te fronte tenus in errore versari?  
 Sed temerarium quoque prædica cla-  
 rissimum Muratorium, qui ab hi-  
 storici nostri scriptis haudquaquam  
 dissentit, nec antiquius Galeatii æ-  
 tate Ticinense marmor agnoscit.  
 Temerarios denique voca quotquot  
 ea sunt oculorum acie præditi, ut  
 in hujusmodi saxis perspiciendis mi-  
 nime



422 *Jo: Pauli Mazzucheli*

nime fallantur, cum jam tua omnes longissime a sententia discedant. Sileo nihilominus, nec conqueri volo, si ad assequendam Papiensis lapidis characterum ætatem tibi oculorum acies non fuit: ad errorem tamen dignoscendum, in quo jacebas, deesse mentis lumen non debebat, quod, hac re excepta, in te scientiis excultum, nobilitatum, insignitum summopere semper veneratus sum, & ad cælum evexi. Etenim notissima vel super æthera te minime fugit controversia, quæ centum septuaginta abhinc annis Papienses inter & Cremonenses acerrime exarsit, contendentibus ultra aras utrisque, non ut se magnæ cognomento Insubrum Metropoli conferrent, cum in amentiam prolapsi non essent, sed ut primum quique urbi suæ locum in Provincia, post ipsam caput omnium, assequi tantummodo possent. Quo tempore, ne causa caderent Ticinenses, quid ad Patriam suam ornandam non excusserunt, non excogitarunt, non emoverunt? Tota profecto  
ab



*Dissertatio.*                      423

ab iis , sus deque versa antiquitas fuit : invisa omnia scriptorum veterum monumenta : perlustrata singula cum publica , tum privata Regiæ Civitatis tabularia : discussi undique cujusque generis lapides ; nilque prorsus intentatum ab iis relictum , nullusque sane honoris titulus prætermisus . In tanta autem lite non Ticinensium unus aut alter , sed tota civitas junctis studiis diu multumque desudavit , ne unquam princeps a Patria nostra inter reliquas Ditionis Mediolanensis urbes adjudicaretur locus Cremonæ , & turpiter nimis ac indecore futuris omnibus seculis Papiam succumberet . Nemo tamen , nemo lapidis ejus , qui per te nunc scandalis lapis est , mentionem intulit , quem alioquin omnes præ oculis habebant characteribus lectu multo facilioribus , quam ætas præsens curiosis exhibeat . Nemo , licet furore transvectus , eo loci processit , ut asseruerit Papiam appellandam esse secundam Romam . At Ticinensium certe magis , quam tua nunc , olim intererat hæc coram amplissimis Senatus nostri



424 *Jo: Pauli Mazzucheli*

stri Patribus, penes quos causa agebatur, adducere, ut Cremonenses deicerent, victoresque in lite, quæ ipsis merito tam cordi erat, aliquando tandem evaderent. Cur ergo & lapidem Ticini pontis, & titulum secundæ Romæ altissimo præterierunt silentio, cum iis uti perquam maxime opus esset? An quod doctissimi cives latinam linguam non attingerent, qua inscriptio illa educta Mediolanensis Principis jussu efferebatur? An potius ne infausto oppressæ patriæ libertatis monumento, alienisque laudibus ridendi sui copiam facerent Cremonensibus? Hæc si quieto tantisper animo perpendere tibi unquam libuisset, solo naturæ lumine ductus vidisses, num tu unus, nec Papiensis, nec ab aliquo incitatus, tribusque insuper, ut ita loquar, ab hinc diebus internoscere posses, quod Caroli Quinti tempore omnes simul juncti Ticinenses, & Patriæ adversus Cremonam defendendæ ardore ultra cogitatum omne incensi, perspectum nequaquam habuerunt. Nec oblitos eo in tumultu dicas Papienses fuisse

fe-



*Dissertatio.* 425

secundæ Romæ cognomenti, quo supra Mediolanum quoque Patria sua eminebat. Primum enim non unius horæ tumultus fuit, aut dierum aliquot contentio ea, in qua sapientissimæ civitates versatæ sunt; sed causa plurimorum apud nos annorum spatio legitime agitata. Unde reminiscit tandem alterius Romæ tituli debuissent Papienses, quem millies in die animi relaxandi, aut tuendæ valetudinis gratia ambulantes oculis usurpabant. Præterea ipsis Cremonenses Ticini pontis lapidem in memoriam plus nimio certe, & ad stomachum usque revocarunt, verbis scilicet adeo injuriosis, ut ego semper ea vehementissime execratus sim, cum rationibus, non conviciis, ejus maxime generis, intendendæ sint lites. Subdere tamen illa tibi, quæcunque fuerint, operæ pretium reor, ne in posterum unquam, si forte alias, ejus inscriptionis oblitos fuisse Ticinenses suspiceris. Lege itaque actionem tertiam Hieronymi Vidæ Poetæ celeberrimi, quam in controversia Principatus adversus Papienses



426 Jo: Pauli Mazzucheli  
 ses pro sua habuit Patria, & pag.  
 109. hæc, quæ iterum execror, in-  
 clamantem reperies: Quasi vero in  
 hac re non sit mihi penitus exploratus  
 vester sensus? Quasi vestra arrogan-  
 tia non sit omnibus notissima? ac si  
 non plane constet vos cunctas civita-  
 tes præ vestra animis premere atque  
 despiciere, & pro nihilo habere, di-  
 gnitateque nulli urbium cedere, una  
 vix, ægreque excepta Roma, quod  
 etiam vos metipsi omnibus, quibus con-  
 tingit ad vos divertit, testatum esse  
 voluistis literis in saxo insculptis, quod  
 in Portæ Ticinensis poste positum visi-  
 tur. Quid enim aliud sibi vult RO-  
 MA SECUNDA VALE MUN-  
 DI CAPUT? furentis hominis, ne-  
 dum insani poema. Quid expressius  
 quid illustrius expectatis? Legunto  
 quæ sequuntur non minore majestate,  
 quicumque illac iter habuerint, & ri-  
 sum, si poterunt, teneant non minus  
 propter hominum inauditam arrogan-  
 tiam, aut potius dementiam, quam  
 propter poetæ illius inscitiam, ac stu-  
 porem. Admoneo vos per amicitiam,  
 vicinitatemque obnixè caveatis, ne a



## Dissertatio . 427

populo lapidibus obruamini . Colligite vos per fortunas vestras , ac tandem resipiscite ; & paulo inferius . Saxum illud multis literis illiteratum sine ulla mora demoliendum locate , atque in Ticinum projicite . Quam primum , si sapitis , summoveate , atque abducite illud ludibrium a prætereun-  
 tium aspectu , ut desinatis omnibus mortalibus esse fabulæ ac deridiculo . An tibi nunc etiam videntur ob-  
 livisci eo tempore Ticinenses potuisse lapidis , quem non tam ob oculos semper habebant , quam in auribus quoque , cum hæc Cremonenses primum manuscripta , postea typis etiam tum patriis , tum Parisiensibus edita longe gentium , & quaquaversum disseminarent ? Nemo sane hominum magis destitutus memoria legitur quam Vitellius , de quo Hist. lib. 3. Tacitus scribit : *tanta torpedo invaserat animum , ut si Principem eum fuisse ceteri non meminissent , ipse oblivisceretur .* Optime tamen se Imperatorem esse recordabatur stolidissimus ille helluo , cum eo se nomine ab aliis  
 fa-



428 *Jo: Pauli Mazzucheli*

salutari audiebat . Quomodo ergo  
 Ticinenses meminisse non poterant  
 Inscriptionis secundæ Romæ , qua  
 se tali tantaque vocis contentione  
 innumeris Cremonensium conviciis  
 obrui sentiebant , ut ipsorum stre-  
 pitu non Insubria solum , sed Italia  
 etiam , immo & Gallia resonaret .  
 Vaticinare modo , eruditissime Gat-  
 te , quodnam irritantibus nimium  
 allatis supra verbis Hieronymi Vidæ  
 responsum tulerint Papienses , qui-  
 bus nec se fortiter tuendi sapientia  
 deerat , nec ad silentium alios com-  
 pellendi facundia ? Nihil medius fi-  
 dius , nihil omnino , iterumque ni-  
 hil iis rescriptum invenio , cum re-  
 liquis omnibus , ne commate qui-  
 dem excepto , sibi objectis fatis su-  
 perque facere , utcunque poterat  
 saltem , conati sint , adeo ut amo-  
 re Patriæ furere quodammodo &  
 debacchari viderentur . Non hic mi-  
 hi allegationis ( ignosce quæso , si  
 me forensi vocabulo utentem audis )  
 allegationis , inquam , totius tran-  
 scribendæ locus est , quam Ticinen-  
 sium causæ patronus tunc temporis  
 in



## Dissertatio. 429

in lucem edidit, cum plures ipsa  
 sola impleat paginas, & dissertatio-  
 nis fere molem adæquet. Argumen-  
 ta tamen omnia ac rationes colligens ipse erga finem, cum nec lapidis, nec tituli alterius Romæ vel una antea protulerit litera, hæc habet: *Itaque cum docuerimus rationes Cremonensium infirmas esse, Papienses vero plurimis honoribus affecti sint, quam unquam Cremonenses fuerint, & civitas Papiæ per multos annos fuerit regni sedes, quod satis esse deberet ut præcederet, & crecta sit ab Imperatoribus in comitatum & in Principatum, habeatque Episcopum longe prius institutum, & digniorem, & nemini nisi Pontifici Max. subiectum, & Referendarium, cujus major auctoritas est, quam aliorum, totius classis præfectum, & aquarum Judicem, florentissimam Academiam, & Collegium celeberrimum cum auctoritate Doctores creandi, & tot Illust. Feudatarios, semperque ante lata sit a Principibus in inscriptionibus, in monetis, & reliquis, sitque in hujus rei possessione jam firmata, quæ ita antiqua est, ut jam*  
 pri-



430 Jo: Pauli Mazzucheli

privilegii vim habeat ex certa principis  
 scientia concessi, quæ res maxime ad  
 causam ejus facit, neque ulla unquam  
 Civitas subjecta Mediolanensi Ducatui  
 inventa sit, quæ se anteferri Papiæ  
 voluerit, licet multe Cremona præstan-  
 tiores sub Ducatu fuerint, ut Bononia,  
 ut Perusia, ut Pisæ, & alie etiam  
 multe; satis constat Cremonenses debere  
 liti cedere, & Excellentissimum Sena-  
 tum esse pro Papiensibus judicaturum.  
 Iratus quoque Bernardus Saccus per  
 eadem vivens tempora in Vidam ful-  
 men potius & ensem, quam calamum  
 adhibuit. Ipsum enim passim in hi-  
 storiae suæ libris acriter impugnat,  
 ejusque varias hinc inde rationes e-  
 vertit, ut in tanto viro nihil sani,  
 nihil veri, nihilque rationi consenta-  
 neum esse ostendat. Ipsum etiam  
 appellare non metuit imperitum,  
 mendacem, invidum, maledicum, ca-  
 lumniatorem, profugum ab Ecclesia,  
 juris humani expertem, & hæreti-  
 corum occidentalium Imperatorum  
 fautorem, ut de aliis fileam injuriis,  
 quæ in Indice Historiæ Sacci typis  
 ab Henrico Farnesio iterum datæ

anno



anno 1587. videri commode possunt .  
 De lapide autem Ticini pontis in  
 toto Sacco, vel si centies evolvas, ne  
 gry quidem comperies, ac si nihil de  
 eo prorsus Vida innuisset, cum alio-  
 qui facile & merito ipsum incusare  
 poterat, ut hospitem in historia, dum  
 non Ticinenses monumentum illud  
 præ superbia eduxerunt, sed Ga-  
 leatius Vicecomes Mediolanensium  
 Princeps . Hoc tamen, cum ideo fa-  
 ctum ab ipso fuerit, ut Papiensibus  
 verba daret, dum jugum imponeret,  
 prudentissime Saccus, quo nemo in  
 rebus patriæ magis perspicax & acu-  
 tus, ceterique post Saccum in Regiæ  
 urbis causa patroni, velut surdi ac cæ-  
 ci, taciti omnes super inscriptione  
 injurias prætermiserunt, ne camari-  
 nam scilicet moverent, & hostibus  
 arma darent, quibus ictu crudeliore  
 prosternerentur . Hæc tibi magis ut-  
 pote Papiensis Civitatis historico &  
 antiquario innotescere debebant,  
 quam mihi, qui vice hac tantum, ut  
 abrepta patriæ ornamenta redime-  
 rem, historici partes suscepi, nun-  
 quam alias profecto eodem munere  
 per-



432 *Jo: Pauli Mazzucheli*

perfuncturus, nisi ad certamen, quod ad extremum usque pro veritate non detrecto, me fortasse quispiam evocabit. Siluerunt itaque Papienses inscriptionem Ticini pontis, nec in laudum suarum numero titulum secundæ Romæ scripsere, cum primum pro Patria adversus Cremonenses causam dicere exorsunt. Siluerunt utrumque etiam irritati, injuriis quoque laceffiti; conviciis usque provocati, adeo ut siquod fortasse jus ad lapidem habuissent, de ipso penitus cessisse dicendum esset, cum citati nullum unquam super alterius Romæ cognomento responsum ediderint. Tu unus silere noluisti, licet a nemine iustus verba facere, licet extra causam totus, licet non irritatus, nec ulla affectus injuria, & ubi antea in urbe nostra apud Excellentissimum Senatum Supremum totius Provinciæ Judicem agebatur, an Cremona Papiæ præferenda esset, tu ad mentis tuæ tribunal urbem nostram, urbisque Patrem Senatum amplissimum appellasti, ut tuo pendentibus

ab



*Dissertatio.*      433

ab ore audirent Papiam appellan-  
dam esse secundam Romam, non ve-  
ro Mediolanum, & male ad hujusce  
civitatis laudes Ticinensis pontis car-  
mina translata esse a Corio, qui non  
levi etiam temeritatis nota putavit  
lapidem eum delatum esse Papiam a  
Joanne Galeatio, cum longe senior  
sit, & antiquior. Hæc tua, ornatissi-  
me Antoni Gatte, sententia est, nos-  
que indicta causa damnati sumus, &  
litem amisimus, quam nobis esse a ne-  
mine unquam accepimus. Miseret  
me tamen unius Corii, in quem so-  
lummodo conviciis desævire quid ju-  
vet, dum Ticinensem inscriptionem  
ad archetypam Mediolanensium ta-  
bulam exactam fuisse innuit, non sa-  
tis intelligo, quoniam longa incla-  
mat antiquitas, & plurium seculo-  
rum cursus testatur eam apud nos  
certo extitisse; ubi nemo quidem te-  
rior fuisse credidit Ticini Regii, an-  
tequam illic Galeatii jussu inscribe-  
retur. Lege MS. Chron. Mediol. A-  
nonymi Auctoris Corio antiquioris,  
quod in Biblioth. Ambros. reperitur  
signatum S.447. & pag.28. eadem in-



434 Jo: Pauli Mazzucheli

spicies carmina, aliquali tamen im-  
 mutatione a Ticinensibus varia. Scri-  
 bit enim: e tolto il nome d'Alba, fu  
 appellata **SECUNDA ROMA**,  
 scrivere li fece questi versi:

*Dic homo qui transis, dum portæ limi-  
 na tangis:*

**ROMA SECUNDA** vale, Regni  
 decus Imperiale,

*Urbs veneranda nimis, plenissima re-  
 bus opimis,*

*Te metuunt gentes, tibi flectunt collo-  
 potentes,*

*In Bello Thebas, in sensu vincis Athe-  
 nas.*

Lege Petrum Philargum, patria No-  
 variensem, Mediolani Archiepisco-  
 pum, dein sub Alexandri Quinti no-  
 mine Romanum Pontificem in Ora-  
 tione MS. apud Bibliot. ut sup. quam  
 annis centum & octo habuit ante Co-  
 rii editionem, in assumptione Digni-  
 tatis Ducalis Joannis Galeatii Vice-  
 comitis, ibique exaratum comperies.

*Quis porro quibit hujus civitatis laudes,  
 & insignes virtutes, & præconia suffi-  
 cienter exprimere? Nulla, ut arbitror,  
 mortalium lingua; propter quod, ut ple-  
 rique*



*Dissertatio.*      435

*rique ferunt, idem Theodosius Imperator, aut, ut aliis placuit, Romanorum Senatus in Romanae Portae superliminibus hujusmodi metra conscribi mandavit.*

*Dic homo qui transis, dum portae limina tangis:*

**ROMA SECUNDA** *vale, Regni decus Imperiale,*

*Urbs veneranda nimis, plenissima rebus opimis,*

*Te metuunt gentes, tibi flectunt colla potentes,*

*In Bello Thebas, in sensu vincis Athenas.*

*Lege Benvenutum Rambaldum, patria Imolensem, Corio centum & quadraginta pene annis antiquiorem, ac erectioni Ticinensis marmoris coævum, in Chron. MS. de singulis civitatibus Mundi, quod servat Bibliot. ut sup. & sub titulo Mediolanensis Urbis post Theatri, Hippodromi, Circi, Thermarum, Viridarii, Templorum Idolorum, Capitolii, & Palatiorum Augustalium descriptiones notatum invenies: Ex his & aliis innumeris eminentiis hanc urbem*



436 Jo: Pauli Mazzucheli  
 secundam denominantes Romam portam  
 inscribi jusserunt :

*Dic homo qui transis, dum portæ limine  
 tangis :*

**ROMA SECUNDA** vale, Regni  
 decus Imperiale,

Urbs veneranda nimis, plenissima re-  
 bus opimis,

Te metuunt gentes, tibi flectunt colla  
 potentes,

In Bello Thebas, in sensu vincis A-  
 thenas.

Lege Gualvaneum Flammam, qui  
 SS. Prædicatorum Ordini nomen de-  
 dit ducentos prope annos, antequam  
 se ad scribendas res nostras accinge-  
 ret Corius in MS. Chron. Min. Me-  
 diol. cap. 22. quod in codice pergame-  
 no videre potes apud doctissimum  
 I. C. Joannem Sitonum, & hæc scri-  
 pta reperies: sicque civitate disposita,  
 Marcellus Dux Romanorum, ablato  
 nomine Alba, ipsam secundam Romam  
 nominavit. Unde in porta, que nunc  
 dicitur Romana, hos versus sic scribi  
 fecit:

*Dic homo qui transis, dum portæ li-  
 mina tangis :*

RO-



Dissertatio. 437

ROMA SECUNDA vale, Regni  
 decus Imperiale,  
 Urbs veneranda nimis, plenissima re-  
 bus opimis,  
 Te metuunt gentes, tibi flectunt colla  
 potentes,  
 In Bello Thebas, in sensu vincis A-  
 thenas.

Lege vetustissimum Mediol. Archiep.  
 Chron. MS. quod sedulo collegit An-  
 tonius Confanonerius ex fragmentis  
 præsertim anonymi scriptoris, qui  
 trecentos quinquaginta annos vixit,  
 priusquam e prælo Bernardini Co-  
 rrii historia prodiret, cujusque ex-  
 emplar percurri penes sapientissi-  
 mos PP. Excalceatos Augustinianos  
 SS. Cosmæ & Damiani Mediol. ac  
 apud alios passim in urbe nostra, &  
 sub anno 1169. in vita S. Galdini  
 Archiepiscopi nostri hæc, quæ se-  
 quuntur, evolves. Isto tempore Am-  
 basiatores Mediolani ad Emanuelem  
 Imperatorem Constantinopolitanum per-  
 venerunt, qui audita Populi Mediolan.  
 desolatione, ac civitatis destructione,  
 quia Imperii Constantinopolitani clipeus  
 erat contra Theuthonicorum incursus,



438 *Jo: Pauli Mazzucheli*  
*doluit vehementer, & Legatis Medio-*  
*lanensibus statuit auri & argenti pon-*  
*dera dari pro muri, & turrium, ac*  
*palatii communitatis reedificatione.*

*Dic homo qui transis dum portæ limina*  
*tangis*

**ROMASECUNDA** *vale Regni de-*  
*cus Imperiale*

*Urbs veneranda nimis plenissima rebus*  
*opimis*

*Te metuunt gentes tibi flectunt colla po-*  
*tentes*

*In Bello Thebas in sensu vincis Athe-*  
*nas*

*In Lombardia meretrix est dicta Pa-*  
*piæ*

*Atque Theuthonico subjecta jugo.*

Appendix hæc vetustissimo epi-  
 grammati nostro adjecta circa annum  
 1155. a nemine mentis sanæ in igno-  
 miniam Papiensibus vertenda est,  
 cum tunc Mediolanum vehementer  
 ac nimis infensum Papiæ foret ob  
 miserandam illorum temporum ca-  
 lamitatem, quibus plurimæ Italiæ  
 urbes nullum inter se injuriæ genus  
 prætermittebant, & quod magis do-  
 lendum est, extremam inter se diu-



noctuque machinabantur perniciem. Ceterum ego secutus eorum exempla, qui ante me de lapide illo scripserunt, nunquam injuriosa illa carmina e tenebris Archivorum, quibus tantummodo digna sunt, evocassem, nisi tu ab intempestivo hoc bello me inter alios vel invitissimum pertraxisses, ut omni qua possem via patrias laudes defenderem. Lege tandem reliqua cum edita urbis nostræ Chronica, tum inedita, quæ frequentibus nimium bellorum vastationibus, aliisque penes historicos celeberrimis calamitatibus superesse potuerunt, & invenies aliquando mendax ne ac temerarius & suo ductus ingenio male transferat Corium ad laudes Mediolani Ticinensis marmoris versus, an antiquissimis adductus scriptoribus, ipsaque rei veritate permotus id æquissime præstet? Dic modo tu mihi, quos historicos invisere debeam, quæ grammatophylacia evolvere, quas adire Bibliothecas, e quibus eruamus veritatis hostem esse Corium, & agitatam inscriptionem apud Papienses



440 *Jo: Pauli Mazzucheli*  
 fuisse, antequam Galeatio imperante Papiæ erigeretur. Enumera læto animo veterum scriptorum nomina, quæ disceptationi tuæ præsto esse possunt. Indica loca, si usquam terrarum sunt, ubi manuscripta pro te loquantur. Recense demum quidquid tibi est, & me omni telorum genere oppugna; dejice, prosterne; nam libentissime patiar. At nihil nihil omnino habes, & falsis quoque testibus cares, a quibus te deceptum excusare apud nos possis. Cur ergo Papiensibus narraſti urbem suam appellatam olim fuisse secundam Romam, præsertim cum Gaudentius Merula Novariensis in Insubriæ totius annalibus versatissimus scripserit centum octoginta abhinc annis lib. 3. de Antiq. Gall. Cisalp. cap. 16. *Non injuria itaque ab antiquis huic urbi (Mediolano scilicet)*  
**SECUNDÆ ROMÆ** nomen est inditum, **QUA GLORIA CETERÆ URBES CARUERE**. Hic tui siquidem perterrefaciendi locus mihi esset longissima scriptorum non tam nostratum, quam exterorum



## Dissertatio. 441

recensione, qui pene innumeri civitatem nostram pleno ore fassi sunt alteram Romam. Sed cum hanc non facile cuilibet expediendam provinciam egregie jam in te magna ex parte subierit vir incomparabilis Joannes Sitonus, superfedendum mihi omnino est, ne actum agere videar, & Iliada scribere post Homerum. Facilius profecto recensere tu mihi potes scriptores, a quibus Papia dicta fuerit secunda Roma; si enim te excipias, & unum aut alterum forsitan amicorum tuorum, qui inserviendi tibi gratia ultimis hisce annis eadem oberraverint chorda, nullum amplius sive editum, sive ineditum scriptorem offendes, qui te, si numerare voles, delassare audebit. Quanti vero fuerit apud veteres Mediolanensis civitas, & ad rem nostram quo habita loco, disce ex græco historico Procopio sexti seculi auctore, qui de ipsa lib. 2. Bel. Got. exaravit: *Prima inter Occidentis urbes post Romam esse hæc civitas creditur, & facile ceteras anteire, ut magnitudine, ita & hominum copia, re-*



442 Jo: Pauli Mazzucheli  
 liquisse item fortunæ bonis. Et quam-  
 vis Cassiodorus Var. lib. 10. ep. 18.  
 de Urbe Roma hæc ferat: *Quam  
 constat in Mundo similem nil habere.*  
 Aufonius tamen natione Gallus,  
 qui anno Domini 360. floruit, enu-  
 meratis prius Circo, Theatro, Tem-  
 plis, Palatio, Porticibus, & Ther-  
 mis Romanam magnificentiam emu-  
 lantibus, ultimo tandem loco ceci-  
 nit rebus omnibus Mediolanum adeo  
 excellere, ut Romæ ipsi non cede-  
 ret. En itaque tibi ejus carmina de  
 Clar. Urb.

*Et Mediolani mira omnia. Copia re-  
 rum,  
 Innumerae cultæque domus, facunda vi-  
 rorum  
 Ingenia & læti mores. Tum duplicem  
 muro  
 Amplificata loci species, populique vo-  
 luptas  
 Circus, & inclusi moles cuneata thea-  
 tri:  
 Tempa, Palatineque arces, opulens-  
 que Moneta,  
 Et regio Herculei celebris sub honore la-  
 vacri,*

*Cun-*



## Dissertatio . 443

*Cunctaque marmoreis ornata peristyla  
signis ,*

*Mœniaque in valli formam circumdata  
labro .*

*Omnia quæ magnis operum velut æmula  
formis*

*Excellunt : nec juncta premit vicinia  
Romæ .*

Mamertinus etiam in Genethliaco Maximiani loquens de Imperatore utroque, Diocletiano scilicet & Maximiano, cum Mediolanum trajectis alpibus advenere, hæc inter alia profert: *Ipsa etiam gentium domina Roma, immodico propinquitatis vestræ elata gaudio, vosque e speculis suorum montium prospicere conata, quo se vultibus vestris propius explet, ad intueudum cominus quantum potuit accessit. Lumina siquidem Senatus sui misit, beatissimæ illi per eos dies Mediolanensium civitati similitudinem Majestatis suæ libenter imperiens, ut ibi tunc esse sedes imperii videretur, quo uterque venerat Imperator. Orationem hanc sedulo perpendens celeberrimus Sigonius Mutinensium Livius lib. i. de Imper.*



444 Jo: Pauli Mazzucheli

Occid. sub anno salutis 289. scripsit :  
*Erat jam tum Mediolanum ea nobilitate , opulentia , publicorum operum magnificentia , & civium , inquilinorumque frequentia præditum , ut facile secundum a Roma dignitatis teneret , atque amplitudinis gradum .* Vopiscus quoque in vita Floriani differens de electione Claudii Taciti ad imperium , habita anno 268. in Italia super reliquas urbes omnes eminuisse Mediolanum indicat , & Aquilejam , quæ & ipsa passim secunda Roma a scriptoribus vocatur , cum amplissimo Mediolanensium Senatui ea de re scriptas referat literas a Romano Senatu . Quocirca eximius vir Benedictus Bacchinius Parmensis penitioris literaturæ pater in Dissert. de Eccl. Hierar. Orig. part. 2. pag. 324. concludit : *Unde apparet jam tum in Imperii politia Mediolanum & Aquilejam præcipuo loco fuisse .* Ceterum nulla est totius cisalpinæ Galliæ civitas , quæ titulis , nisi desipiat , in contentionem venire velit cum nostra , dum pluribus etiam sæculis ante Christum natum , ca-

put



## Dissertatio. 445

put ipsarum omnium fuit & mater.  
 Quare in Marcelli vita apud Plutar-  
 chum, qui claruit anno gratiæ 96.  
 legitur: *Cæsis quam plurimis hostibus,*  
*eorum spoliis atque armis onustus ad*  
*Collegam rediit, infeliciter contra Gal-*  
*los bellum gerentem ad Urbem maxi-*  
*mam, & populorum frequentia cele-*  
*berrimum. Mediolanum vocatur, eam-*  
*que Metropolis nomine Galli ibi degen-*  
*tes nuncupant.* Et sane gloriosissima  
 diu Regum Gallorum sedes fuit ac  
 Regia Mediolanum, donec Marcel-  
 li consulis virtute ac fortuna interfe-  
 cto tandem Rege Virдумaro in Ro-  
 manæ Reipublicæ potestatem se de-  
 dit. Unde Jornandes etiam Gotho-  
 rum Episcopus lib. de reb. Get. sic  
 scribit: *Mediolanum quoque Liguria*  
*Metropolim, & quondam Regiam Ur-*  
*bem pari tenore devastant.* De sua  
 tamen dignitate nequicquam cessit  
 Patria nostra, licet rerum potiren-  
 tur Romani, nec Provinciæ caput  
 esse desit, quæ antea fuerat Regni,  
 statim ac de more in Provinciam a  
 Romanis redactum fuit Gallorum  
 Regnum, *Etenim* ( verba Sigoniæ  
 sunt



446 *Jo: Pauli Mazzucheli*  
 sunt lib. I. Hist. de Reg. Ital. ) etenim  
 & vigente populo Prætor Gallie forum  
 ibi egit, & re ad Imperatores transla-  
 ta ibidem Liguriæ consularis consedit.  
 Utroque autem tempore prima sem-  
 per Romanæ Gentis capita ad nos  
 cum imperio transmissa sunt, eni-  
 tentibus etiam aliquando consulibus,  
 potestate transacta, ut a Senatu Pro-  
 vinciam hanc obtinerent, quam ne-  
 mo sane violentius M. Antonio fero-  
 ciusque consequi aggressus est, cum  
 ad arma tandem is aperte confuge-  
 rit, & vi profecto, quod precibus  
 non potuerat, adeptus esset, nisi  
 majores nostri sese ipsi fortiter, ut  
 hosti Patriæ, objecissent. Quamob-  
 rem æterna illa Cisalpinæ Gallie  
 præconia in Romano foro ex Cice-  
 rone audita sunt, quæ adhuc Phi-  
 lip. 3. leguntur num. 13. Nec vero  
 de virtute, constantia, & gravitate  
 provinciæ Gallie taceri potest; est  
 enim flos Italiæ, illud firmamentum  
 Imperii Populi Rom., illud ornamentum  
 dignitatis. Tantus autem consensus est  
 municipiorum coloniarumque Provinciæ  
 Gallie, ut omnes ad auctoritatem hu-  
 jus



## Dissertatio. 447

*jus Ordinis, majestatemque populi Ro-*  
*mani defendendam conspirasse videan-*  
*tur: & Philip. 5. num. 37. Habeat*  
*ergo hujus tanti facti tamque præcla-*  
*ri decreto vestro testimonium sempiter-*  
*num; Galliaque quæ semper præsidet,*  
*atque præsedet huic Imperio, liberta-*  
*tique communi merito jureque laudetur,*  
*quod se suasque vires non tradidit,*  
*sed opposuit Antonio. Immo florente*  
*Romana Republica Senatum Me-*  
*diolani consedisse auctor mihi locu-*  
*pletissimus est Sextus Julius Fron-*  
*tinus, qui in urbe sub Vespasiano*  
*Imperatore circa annum Domini*  
*septuagesimum Præturæ dignitatem*  
*exercuit. Non me latet equidem,*  
*quod doctissimus Bacchinius in Dis-*  
*sert. supracit. part. 2. pag. 322. his*  
*admonet verbis: Illud certum est com-*  
*municato integræ Italiae, ejusque civi-*  
*tatibus, Municipiis, Oppidisque jure*  
*Romano, in singulis Decuriones fuisse,*  
*quorum Collegium Senatum Romanum*  
*imitabatur; Duumviri, loco consulum*  
*erant. Scio etiam unum esse erudito-*  
*rum prope omnium sensum appella-*  
*tos in primordiis ipsis Senatus nomi-*  
*ne*



448 70: Pauli Mazzucheli

ne fuisse Decurionum Ordines, nec quoque deesse, qui consulum titulo Duumviros ab exordio insignitos contendant. Verum Duumviri, si prima spectentur tempora, quibus sui nondum terrarum orbem impleverat ambitio, non modo consulum nomine non appellabantur, sed ne Prætorum quidem, quod cum omnium primi sibi arrogassent Duumviri Coloniae Capuæ, hoc adeo Romanæ eloquentiæ Patri dolori fuit, ut in Orat. 2. pro lege Agr. exclamaverit: *Cum in ceteris Coloniis Duumviri appellentur, hi se Prætores appellari volebant. Quibus primus annus hanc cupiditatem attulisset, nonne arbitramini paucis annis fuisse consulum nomen appetituros? Ordo item Decurionum antiquitus primisque ab annis prætulisse Senatus nomen nusquam sane reperitur, nisi, & perquam rarissime, in lapidibus, quorum etiam ætas incerta nobis est, & quos quilibet proprio Marte in patria sua erigebat. Unde ambitioso laudis studio factum istud etiam fuisse quis non intelligat, ut de Capuæ Duum-*



*Dissertatio.*                      449

Duumviris jam vidimus, maxime  
 cum Romani scriptores, quotquot  
 sunt, sæpissime de Decurionum, tam  
 Coloniarum, quam Municipiorum,  
 Ordinibus differentes, nunquam  
 ipsis, vel semel tantum, Senatus no-  
 men indiderunt. Una tantummodo  
 ex universo terrarum orbe, privile-  
 gio quasi donata, & velut altera Ro-  
 ma, Patria nostra occurrit, in qua  
 Romanus scriptor Frontinus aper-  
 tissime Senatum fuisse memorat, &  
 circa annum 75. ante Christi adven-  
 tum, militares quasdam turmas in  
 ipsum, quem totum neci dederunt,  
 irruisse testatur; cujus immanissimi  
 parricidii pœnas exegit, qui in Pro-  
 vincia forte cum imperio apud nos  
 erat, Pompejus Magnus. Scribit  
 itaque citatus auctor Stratag. lib. I.  
 cap. 9. *Cn. Pompejus, trucidato ab  
 exercitu Mediolani Senatu, ne tumul-  
 tum moveret, si solos evocasset nocen-  
 tes, mixtos eis, qui extra delictum  
 erant, venire jussit: ita & noxii minore  
 cum metu, quia non segregati, ideoque  
 non ex causa culpæ videbantur accersiti,  
 comparuerunt, & illi quibus integra erat*



450 Jo: Pauli Mazzucheli  
 conscientia, custodiendis quoque nocentibus, attenderunt, ne illorum fuga inquirerentur. Pari omnino totus Mediolanensis Senatus occisione mactatus est sexto seculo, ubi a Gothis & Burgundionibus capta miserrime fuit urbs nostra, & a fundamentis usque deleta. Marius enim Aventicensis, seu Lausanensis Episcopus, qui Concilio Matisconensi subscriptus legitur anno 585. in Chron. notat apud Duchesnium to. i. pag. 213. *Mediolanus a Gothis & Burgundionibus effracta est; ibique Senatores, & Sacerdotes, cum reliquis populis, etiam in ipsa sacrosancta loca interfecti sunt, ita ut sanguine eorum ipsa altaria cruentata sint.* Sumtibus tamen Imperatoris Justiniani laudabiliter a Narse te restitutum fuit Mediolanum, teste eodem Mario in superscripto Chron. pag. 215. Nam ut Procopius ait lib. 2. de Bello Got. *Mediolanum tam amplissima Civitas, quæ ceteras Italiae Urbes, ut magnitudine, ita & hominum copia ac reliquis fortune bonis facile superat, & ut ista præteream, adversus Germanos & Barbaros alios pro-*  
 pu-



*pugnaculum est, & ut ita dixerim pro  
 objice totius Imperii Romani exposita .*  
 Non absimili plane ratione ductus  
 Emmanuel Orientis Imperator, post-  
 quam humi dejecta a Friderico Æ-  
 neobardo fuerat Patria nostra, ma-  
 gnam vim auri argentique ad nos de-  
 misit, ut quam citissime Muri, Tur-  
 res, & Palatium reficerentur. Notat  
 enim, uti supra jam legimus, ex Ano-  
 nymo Auctore Confanonerius in  
 Chron. MS. Mediol. Archiepisc. hoc  
 ideo ab ejus munificentia Mediola-  
 nensium urbi factum esse, quia Im-  
 perii Constantinopolitani clipeus erat  
 contra Theuthonicorum incurfus. His  
 aliisque plurimis nostrorum larium  
 everfionibus accurate discussis, ex qui-  
 bus ipsi augustiori semper aspectu in  
 lucem redierunt, scripsit Erycius Pu-  
 teanus Hist. Insub. lib. 1. pag. 13. *Ubi  
 aliæ occidunt, hæc (nempe Mediola-  
 nensis Urbs) cæpit; sæpiusque nasci  
 meruit, quæ secunda Italiæ velut Ro-  
 ma esset. Ceterum ut primæ Romæ  
 amplitudinem e ruinis dignosci pos-  
 se contendit auctor Romæ subterra-  
 neæ tom. 1. lib. 2. cap. 1. hæc referens:*



452 Jo: Pauli Mazzucheli

Romam igitur si curiosius rimari quis cupit, antiquam ejus faciem e ruinis paulisper exploret: quanta enim ambitus olim fuerit amplitudo, ipsamet ruina, atque ipsa, quæ adhuc supersunt, rudera satis docent. Ita plane civitatis nostræ, quæ in hoc quoque Romanæ urbi abfimilis non est, amplitudinem metiri facile possumus ex calamitatum ruinarumque incredibili nonnullis magnitudine, quas sub ferali Gothorum tyrannide perpessa est. Afferit enim Procopius lib. 2. supracit. Mediolanum vero amplissimam Urbem solo equatam delent, in eaque virorum trecenta millia sine ullo ætatis respectu trucidant: feminas vero servitorum in morem abductas Burgundionibus dono dedere, ut promeritis his gratias redderent pro inita secum belli societate. Idem etiam Sigonius lib. 18. de Imp. Occid. sub anno Dom. 538. Urbem (scilicet Mediolanum) solo equarunt, & trecenta millia virilis sexus, nulla ætatis ratione habita, occiderunt, & feminas servorum loco Burgundionibus donarunt. Idem alii inter historicos celeberrimi testatum faciunt;



ciunt: sed ad nos redeamus. Mediolanum igitur primo Gallorum Regni caput, postea totius etiam cisalpinæ Galliæ in Provinciæ formam redactæ tam vigente Republica caput extitit, quam regnantibus Imperatoribus. Cum autem Constantinus in quatuor Præfectos Prætorio Romanum orbem regendum divisisset, urbs nostra tunc Italiæ caput evasit, Italiæ inquam, ut rerum systemati, quod Romanorum Imperium seculo quarto obtinuit, congruenter loquar. Scribit enim Bacchinius vir nunquam satis laudatus lib. supracit. pag. 324. *Cum autem per duos Præfecti huiusmodi Vicarios Italia universa regeretur, & alter Romæ degens Vicarius Urbis, alter Mediolani residens Vicarius Italiæ diceretur, obtinuit, ut quæ Vicario huic subjiciebantur Provinciæ, speciali Italiæ nomine venirent. Cumque per eadem tempora Thesaurorum Præpositi tot essent in Imperio, quot erant Thesauri, seu loca, in quibus summa pecuniæ ex Provincia exactæ conservabatur, horum unus, & forte Princeps, Mediolani domicilium*



454 *Jo: Pauli Mazzucheli*  
 lium habebat, quemadmodum Pancirolus in Notit. Imp. Occid. cap. 36. tradit: *Præpositus Thesaurorum Mediolanensium Liguria. Mediolanum inter urbes Gallie cisalpinae Insubrum opulentissimum, olim in Liguria fuit, nunc caput Longobardiae, ubi plura jura fuere scripta.* Fabricam etiam monetariam apud nos extitisse arguit Ducangius in Dissert. de infer. Imp. Numism. pag. 36. ex hisce characteribus *MD. P. S.* idest, Mediolani pecunia signata, ut in nummis Maximi, Victoris, Arcadii, & Honorii legere est. Desiere porro ejusmodi officinarum monetariarum nomina monetis Imperatoriis ascribi post Michaelem Teophili filium. Imo si eruditissimo & celeberrimo Natali Alexandro fidem habes, ornatissime Gatte, Præfectus ipse Prætorio Italiae, sedem tenuit in urbe nostra; etenim tom. 4. Hist. Eccl. 285. innuit: *Quo eas dumtaxat Civitates significabat, quæ in territorio municipali urbis Romæ posita essent, quæ suburbicariae vocabantur, ut hoc nomine distinguerentur ab urbibus, quæ*  
*Præ-*



## Dissertatio . 455

Præfecto Prætorio Italiae, cujus sedes  
 erat Mediolanum, subjacebant. De  
 auctoritate autem Præfecti Prætorio  
 Italiae agens Latus comment. Reip.  
 Rom. lib. 2. cap. 2. hæc prodit: Se-  
 quitur nunc Prætorium Italiae, quod  
 omnium latissimam ditionem habebat,  
 non modo per universam Italiam, ve-  
 rum totam insuper, quanta erat, A-  
 phricam subjectam habebat, cum se-  
 ptem Illyrici Occidentalis Provinciis,  
 ipsisque Rhetiis, Sardinia, & Sici-  
 lia. Quarum singulae per suos præsi-  
 des munere, non dignitate nominibus-  
 que æquales, illius de quo loquimur  
 prætorii auspicio gubernabantur. Id  
 quod non solum ex codice Notitiarum  
 Orientis & Occidentis, quem Scotus  
 quidam declinante Imperio de Roma-  
 nis Præfecturis congeffit, verum ex  
 his etiam Ammiani verbis colligitur,  
 quæ lib. 26. extant: Valentinianus Me-  
 diolanum, Constantinopolim Valens di-  
 scessit: & Orientem quidem regebat  
 potestate Præfecti Salustius, Italiam  
 vero cum Africa & Illyrico Mamer-  
 tinus. Idem lib. 21. Quid tamen hæc  
 licet peringentia, licet aliis, quæ-  
 cun-



456 Jo: Pauli Mazzucheli

cunque sint, urbibus haud commu-  
 nia, sed nobis dumtaxat propria fu-  
 sius persequi juvat, si Imperatores  
 ipsi rerum Domini passim suam Me-  
 diolani sedem, primæ velut Romæ  
 obliti, habuerunt. Qua de re Ca-  
 rolus Basilicæ Petri Episcop. Novar.  
 lib. de Metrop. Mediol. recensitis,  
 quæ Maximianus & Constantinus  
 magnifice nostra in urbe præstite-  
 runt, exclamat: *Sed jam pene su-  
 pervacaneum videtur plura afferre, ut  
 Imperatores demonstremus Mediolani,  
 tamquam in primaria atque amplissi-  
 ma Civitate frequenter, ac diu mo-  
 ratos esse, Regiasque celebritates egis-  
 se. Nam de reliquis etiam Imperato-  
 ribus perfacile est idem ostendere, Con-  
 stante & Constantio filiis, Juliano,  
 Valentiniانو Seniore ac Juniore, Gra-  
 tiano, Theodosio, Honorio: quemad-  
 modum ex Ammiano Marcellino, &  
 S. Ambrosio, aliisque scriptoribus pas-  
 sim unusquisque potest facile cognoscere.*  
 Hinc Joannes Thuilius Mariæmon-  
 ranus in comment. Embl. Alciati pa-  
 gin. 19. exaratum dedit: *Imperio in  
 Orientem translato, veteri quasi sene-  
 scente*



## Dissertatio. 457

scente Roma, Imperatores Mediolano  
 capi & delectari cœperunt, unde in tan-  
 tum excrevit ea urbs, ut a Procopio  
 2. Gothici belli, prima inter Occiden-  
 tis urbes post Romam dicatur. Et U-  
 ghellus tom. 4. Ital. Sac. de Mediola-  
 no prolixè loquens hæc, inter cete-  
 ra, memorat: Nonnunquam Romani  
 Cæsares sedem hic Imperii collocarunt,  
 ut Philippus, Maximianus, Constan-  
 tius, Theodosius, Valentinianus, Ho-  
 norius, Ludovicus, & alii. Sed cur  
 adhuc vetera inquiero, & mortuos  
 e tumulis excito, si in præsentiarum  
 apud nos est Augustissimus Roma-  
 norum Imperator Carolus Sextus,  
 qui ex avitis Hispaniarum Regnis  
 opera dedita in urbem nostram se  
 contulit, ut non alibi, quam hic  
 electionis suæ ad Imperium, statim  
 ac ab Electorali Francfordiensi Col-  
 legio habita esset, nuncium excipe-  
 ret, & hic quoque totius inde or-  
 bis sibi gratulationes audiret. Un-  
 de plenam hodie Patriam circum-  
 spicimus innumeris, tum Urbium,  
 tum Principum, tum Ducum, Re-  
 rumque publicarum, ac Regum no-



458 *Jo: Pauli Mazzucheli*

bilissimis Oratoribus , quibus adde  
 Serenissimos Joannem Gastonem E-  
 truriæ , Franciscum Lotharingiæ ,  
 Carolum Neoburgi , hujusque affi-  
 nem Emmanuelem Augustum Sulz-  
 baci Principes , & ipsum S. R. E.  
 Apostolicum Legatum Emin. Car-  
 dinalem Josephum Renatum Impe-  
 rialem , aliosque tam Hispaniarum  
 Magnates , quam Germaniæ Proce-  
 res , ac Sarmatiæ , quos omnes ,  
 hæc me scribente , electo Cæsari gra-  
 tulabundos videt Mediolanum . Nec  
 Imperatores solummodo apud nos  
 constitere , verum etiam ( nequid  
 gloriæ , licet minimæ , in ullo no-  
 bis genere deesset ) tyranni aliquan-  
 do Imperii sedem fixerunt , ut Gal-  
 lieni temporibus Aureolus . Etenim  
 Sex. Aurelius Victor in epit. de Vitis  
 Impp. Rom. cap. 32. notat : *Pari-  
 modo Ælianus apud Moguntiacum , in  
 Ægypto Æmilianus , apud Macedo-  
 nas Valens , Mediolani Aureolus do-  
 minatum invasere . Non abs re itaque  
 Jacobus Philippus Bergomensis ex  
 prænobili Forestiorum Familia na-  
 tus anno 1434. edidit lib. 6. Suppl.  
 Chron.*



## Dissertatio . 459

Chron. *Mediolanum igitur civitas potentissima, totius Gallie cisalpinæ Metropolis, & urbium ceterarum Mater, ac post plurimas congestas laudes, in hæc tandem verba conclusit. Unde & secunda Roma jure vocari potest: Caput ergo Romani orbis, ut tot numero Imperatorum sedes Mediolanum fuit, dignum etiam totius Mundi caput esse ac Regiam, sicuti Cremonensium Pericles Hieronymus Vida exclamat act. 3. adversus Pap. pag. 108. Mediolanum illam civitatem tot tantisque præsiidiis, & ornamentis redundantem, tam magnis opibus copiisque fluentem, ut merito non modo urbium hujus ditionis sit caput, sed etiam digna sit, quæ perpetuam sedem ac domicilium præbeat universi terrarum orbis imperio, provinciisque omnibus, nationibus, & regnis præscribat atque imperet. Sileo Imperatores, quos Patria nostra in lucem emisit, ut Didium Severum Julianum, de quo Sex. Aurelius Victor in epit. cap. 19. scribit: Didius Julianus ortu Mediolanensis imperavit mensibus septem. Vir nobilis, jure pe-*



460 *Jo: Pauli Mazzucheli*  
*ritissimus, factiosus, præceps, regni*  
*avidus. Septimium Antoninum Ge-*  
*tam, de quo Ælius Spartianus in*  
*ejus vita. Natus est Geta Severo &*  
*Vitellio Coss. Mediolani. M. Aure-*  
*lium Carum, de quo Flavius Vopi-*  
*scus: In ephemeride quadam legisse*  
*memini Carum Mediolanensem fuisse.*  
 Hic autem duos ex conjugio filios  
 suscepit, utrosque postea ad Impe-  
 rium evedtos, scilicet M. Aurelium  
 Carinum, & M. Aurelium Nume-  
 rianum. Sileo tandem plures Im-  
 peratores alios, de quibus passim  
 Mediolanenses historici, ut Alcia-  
 tus, Bugatus, Morigia fusc in scri-  
 ptis suis loquuntur. Sileo etiam,  
 ne longius abeam, quotquot Impe-  
 ratores in Insubria ab Archiepisco-  
 po Mediolanensi corona ferrea re-  
 dimiti sunt, ut argentea ab Archie-  
 piscopo Coloniensi apud Aquisgra-  
 num, & aurea Romæ a Pontifice  
 Maximo. Has vero coronas lib. 4.  
 Hist. Aust. vocat Mediolanensem,  
 Teutonicam, & Romanam doctis-  
 simus Æneas Silvius Laurentianæ  
 Mediol. Basilicæ Præpositus, qui  
 po-



## Dissertatio . 461

postea Romanum Pontificatum adeptus, Pii secundi nomen suscepit. Pauca hæc, eruditissime Gatte, imo paucissima, si, quæ dicenda adhuc supersunt, reputare velis, de urbe nostra sub aspectum tibi subjicere optimum duxi, ut patienter ac modeste feras in posterum ipsam quibusdam honoris titulis frui, quos civitates aliæ, præsertim finitimæ & clientelaris naturæ nequaquam habent. Debentur nimirum hi nobilissimæ origini suæ, dum vel nascens Regum sedes cepit esse non minui quam Roma, si vera Livius narrat, sed tanto præstantior & illustrior, quanto fortior ac potentior Romulo fuit Bellovesus, qui innumerabili Gallorum exercitu transcensis alpibus post disjectas Tuscorum copias urbem nostram condidit, Regnique sui primordia auspiciatus est, ubi Romulus in latrones grassari assuetus, parva hominum manu coacta, urbis fundamenta posuit & Imperii ut lib. i. cap. i. differit Florus. Debentur etiam augustissimæ magnitudini suæ, de qua Paulus



462 Jo: Pauli Mazzucheli

Merula Batavus Dordrechtanus in  
 Cosmog. part. 2. lib. 4. pag. 1026.  
 scribit: *Sane inter maximas Europæ  
 censetur urbes mercatura opibusque flo-  
 rens, splendore superbit ædificiorum,  
 Templorum magnitudine, Prætoriorum  
 amplitudine, pulchritudine viarum,  
 mœnibus, propugnaculis, armamenta-  
 riis supra modum instructa: spatium  
 complectens immensum, suburbia ha-  
 bet longa lataque, quorum nonnulla  
 cum magnis civitatibus committi pos-  
 sent. Debentur quoque omnigenæ  
 affluentia suæ, & incredibili pene  
 cunctarum rerum copiæ, de quibus  
 Abrahamus Ortelius Antuerpiensis  
 in Theat. Orb. Terrarum notat:  
*Summam mercuriales admirationem ha-  
 bet, omnium rerum, quæ sunt ad usum  
 mortalium utiles, hujus urbis insignis  
 abundantia copiaque. Tam multa hic,  
 & tam diversa artificum genera,  
 tantaque frequentia, plane ut referri  
 nisi difficillime haud possit, unde &  
 vulgi natum verbum celebre, Qui Ita-  
 liam reficere velit, eum destruere Me-  
 diolanum debere. Debentur reliquis  
 tandem præclarissimis dotibus suis,*  
 qui*



## Dissertatio. 463

quibus Ubertus Cribellus Archiep. Mediol. licet anno 1185. ad summum euectus fuerit Pontificatus apicem, in quo sibi Urbani Tertii nomen assumpsit, tamen a dignitate sua, quamvis ter maxima, alienum nequaquam censuit Archiepiscopi Mediolani titulum, & Mediolanensis Ecclesiæ regimen ad extremum usque, ut summa præstitit laude, retinere, teste Gualvano Flamma in MS. Chron. Min. Mediol. capp. 217. & 219.; adeo ut uno eodemque tempore primæ & secundæ Romæ curam pientissime gereret, nec præesse filiæ omitteret, dum amplissimo administrandæ matris honore fruebatur. Quod dignitatis utriusque vinculum ac societatem Mediolanensi Ecclesiæ non levi ornamento esse reor, ut illud quoque, quod de ipsa vix enata Luitprandus Ticinensis Diaconus notavit in Advers. num. 166. his verbis: *A temporibus Apostolorum maxima consuetudo, & quedam fraterna societas, inter Ecclesiam Toletanam & Mediolanensem.* Sed jam tempus est, ut ad Corium



464 *Jo: Pauli Mazzucheli*

revertar, quem proposita in re pugnacissime defendere, & ad extremam usque literulam sustentare mei muneris esse facio. Scribis itaque in aureo libello tuo adversus ipsum: *temere autumat lapidem illum fuisse Papiam delatum a Joanne Galeatio Vicecomite. Væ tibi, væ tibi, qui nunc animo forti es, præstantissime Gatte, si Corius adhuc viveret, de quo non immerito cecinit Stephanus Dulcinius Cremonensis vita functus Mediolani anno 1508. die 13. Octobris.*

*Bernardine, tibi Insubres debere farentur*

*Non minus, ac magno Roma superba Tito.*

Sed mortuo Leoni barbam vellere vel mures audent. Non ea profecto, quæ ipse scribis, posteritati vendidit sagacissimus veritatis indagator Bernardinus Corius, sed tantum innuit Ticini Regii in lapide incisos fuisse versus eos, qui extra mœnia urbis nostræ olim habebantur: nec oscitanter vel temere effutiit antiquissimum Mediolanense marmor ad Papien-



*Dissertatio.*                      465

pienses transmigrasse, dum a Papiensibus ipsis in æneobarbica everfione dejectum merito fuisse ac comminutum quis sibi non suadet ob injuriosa ea carmina, de quibus supra, te nos lacescente, coactus mentionem egi; adeo ut ejus lapidis nihil reliquum nobis fuerit, nisi aliquod forsitan fragmentum, quod unus inter omnes historicos nostros se vidisse putat Donatus Bossius scribens in Chron. Mediol. *Carmina quedam adhuc perdurant.* Ceterum cum lapide simul, ut ipse vereor, periisset omnino inscriptio illa, nisi ab anonymo Auctore Chron. Mediol. Archiep. literis statim demandata fuisset, ex quo postea Gualvanus Flamma, Benvenutus de Imola, Petrus Philargus, Antonius Confanonerius, Bernardinus Corius, Donatus Bossius, Marcus Litta, Paulus Morigia, sexcentique alii ipsam transcripserunt. Ut autem delendam eorum carminum memoriam infringent prudentissimi Ticinenses hæc alia in vulgus tandem emiserunt.

*In Lombardia genitrix & virgo Papiæ  
Tartareo haud subjecta jugo.*



466 Jo: Pauli Mazzucheli

Quæ refert eruditissimus P. Romualdus in Flavia Papiæ sacra part. I. pag. 86. Licet ipsi viro cetera perquam accurato non innotuerit, quod mihi MSS. veterum monumenta evolventi casus internoscere dedit. Nec ullam tibi, si sapias, admirationem movere debet saxum illud Romanæ olim Mediolanensis Portæ ornamentum a Papiensibus dirutum fuisse, quibus Æneobardi jussu Ticinensis Porta labefactanda solummodo obtigerat. Nam ii ob deplorandam ejus ætatis conditionem tanto adversus nos furore correpti fuere, ut extra Ticinensem Portam lati Turrim etiam Majoris Ecclesiæ dejecerint, de qua Otho Morena in Hist. Rer. Laud. pag. 97. scribit: *Remansit etiam campanile Majoris Ecclesiæ miræ pulchritudinis, & magnæ latitudinis, atque mirandæ altitudinis, quale nunquam dicitur fuisse in Italia.* Hanc autem Turrim Papienses tali arte, studio, ac dolo suffoderunt, ut, invito quoque Friderico Imperatore, supra Templum proueret, ipsumque miserrime confringeret: quod sane ex eo-

rum



## Dissertatio. 467

rum animi sententia totum evenit.

*Quare* (verba sunt Gualvanei Flammæ in MS. Chron. Mai. cap. 285. aservato in Biblioth. Ambros. penes quam alia omnia in Dissertationis hujus corpore citata MSS. reperiuntur) *Quare Communitas Papiensis solvit decem & octo mille libras illius grossæ monete, cujus libra valebat florenum.*

Ad quem ingentem, pro eorum temporum calamitate, pecuniarum numerum expediendum compulsi fuerunt Ticinenses a S. Galdino Archiepiscopo nostro, qui ut Legatus Apostolicus, *Civitatem Papiæ interdictione supposuit ecclesiastico, donec satisfaceret de Turri Ecclesiæ Majoris Mediolani*. Ita ad verbum testatur celebris auctor MS. Chron. Flos Florum inscripti fol. 148. pag. 1. Ab anno autem 1168. ecclesiasticis vincum fuit censuris Ticinum Regium ad annum usque 1175. Et tunc, ut scribit Gualvaneus in supracit. Chron. cap. 294. *Papienses restituerunt decem & octo millia florenorum pro destructione Campanilis. Sed Communitas illa pecuniam ab Ordinariis (Ecclesiæ Majoris)*



468 *Jo: Pauli Mazzucheli*  
 joris ) abstulit sub nomine mutui , &  
 nunquam restituit fere per ducentos an-  
 nos, quando illa Turris fuit reaedificata .  
 Cum itaque perruptus certe fuerit ac  
 discerptus Mediolanensis lapis quin-  
 gentis sexaginta abhinc annis , qua  
 ratione tibi fingis a Bernardino Co-  
 rio tradi posse eum delatum fuisse  
 Papiam, quasi ab Æneobarbica ever-  
 sione resurrectio marmorum conti-  
 gisset . En ideo ejus verba , quæ ite-  
 rum ob oculos propono , ne tibi vel  
 leve paginarum vertendi incommo-  
 dum oriatur . *Inde volse che Milano*  
*si nominasse ROMA SECUNDA,*  
*e sopra de la porta Romana misse in*  
*marmoro questi versi a perpetua gloria*  
*de sì inclyta Città , li quali doppuoi Ga-*  
*leazzo Secondo ponere fece in marmore a*  
*tavola sopra il Ponte del Ticino a Pa-*  
*via .* Si hanc Corii periodum , qua  
 nulla planior optari potest, legere ti-  
 bi libuisset , ut scripta exhibent, non  
 erat certe cur ipsi immerenti diem  
 diceres , & temeritatis notam inure-  
 res , ac si effuse petulantis ingenii vir  
 esset . Accuratus sine dubio unusquis-  
 que esse debet in citandis veterum te-  
 stimo-



*Dissertatio.*      469

stimoniis , ne legenti scilicet fucus aliquis fiat , & scriptorum nominibus, contra quam fas est , tenebræ of- fundantur. Accuratioꝝ vero longe , & cujusquam plane articuli obser- vantissimus sit oportet , qui insi- gnium virorum scripta impugnandi cupiditate inflammatur . Alioquin æquissimam Diodori Siculi objectam sibi sententiam audiet , quam Augu- stinus Mascardus refert tract. 2. de Arte Hist. pag. 130. *Qui data opera exactam inquisitionem negligunt, hos me- rito accusandos arbitror, quando nimi- rum nonnullis adulando, vel per odium virulentius alios impugnando a veritate aberrarint . Ceterum si tua forte re- fert celeberrimi Patriæ nostræ hi- storici scriptis adversari , quo tibi maximam vel literati, vel critici fa- mam aucuperis , libentissime con- cedimus. Non enim ejus libri sunt vel Moysis Pentateuchus, vel Pro- phetarum codices, a quibus & mini- mum recedere religio sit. Lege ta- men, obsecro te, antea diligenter quæ Corius scripsit, non animo ef- finge tecum, quæ scripsisse potuerit,*

ut



470 *Jo: Pauli Mazzucheli*

ut saltem in posterum ex mente auctoris revera sint, quæ strenue more tuo impugnanda suscipies, licet fortasse, quod parvi interest, ex præscripto rationis nequaquam essent, quæ æternandi tui nominis studio adversus ipsum typis denuo subjicienda capesses. Sed quid ergo homo novus de te queror, peritissime legum Magister, si hic principum universi terrarum orbis ingeniorum mos est, & nota quodammodo, qua ab reliquo literatorum cœtu secernuntur. Nam plurima etiam notissimus Philosophorum Aristoteles Platoni imposuit, quæ nunquam in Platonis mente, nisi forsitan dormientis, oberrarunt, quo ita commodius & facilius sibi in ipsum scriptitandi ac invehendi iter aperiret, ut optime inter innumeros pene alios advertit etiam D. Thomas, seu quicumque sit auctor Opusculi de Regim. Princip. lib. 4. cap. 4. & ingentis sibi viri gloriam compararet per nefas, & insolentius in tanti Philosophi manes invadendo. Unde Joannes Sanchez loquens  
de



## Dissertatio . 471

de Peripateticorum Principe tom. I.  
long. quæst. 32. de universalibus peregre ait : *Fingebat monstra , quæ facile superare posset .* Mirari tamen ac obstupescere non desino te ex mente Corii , quasi fatuitate laborantis , referre Ticinensem lapidem delatum fuisse a Joanne Galeatio Vicecomite , qui primus Mediolani Dux ab Wenceslao Imperatore iussus fuit anno 1395. ; cum Corius aperitissime dicat iussu Galeatii secundi inscriptos Papiæ versiculos eos anno 1359. Sed si verum fateri vis , quippe ingenuis moribus præditus , tu filium pro patre accepisti , ut olim Aristoclem pro Aristotele sumsit Volaterranus ; & eundem omnino fore arbitratus es Joannem Galeatium ac Galeatium secundum , cum hic genitor illius fuerit . Quem in errorem si unquam malo fato Corius cecidisset , abjecta profecto cunctatione omni , cineribus demandanda esset ejus historia , utpote qui proxima sibi tempora ignorasset , & in Vicecomitum Genealogia peregrinus fuisset , quam tunc vel rustici



472 *Jo: Pauli Mazzucheli*

ci rerum omnium imperiti eximie callebant . Verum de te non uni Corio querendi locus est , quem , nescio a quo deceptus , dixisse narras , quæ nunquam scribere potuisset , nisi casu aliquo , & horrendo quidem , de ratione fuisset exturbatus . Dolere etiam potest infelicissimus hodie tui causa Ticinensis lapis , cujus initium est .

*Quisquis huc intrat deflexo poplite dicat .*

Non vero ut tu refers .

*Quisquis in hac intrat deflexo poplite dicat .*

Licet enim ipsum bona fide emendasti , ne scilicet illapsus contra metricas leges a nobis error videretur , error tamen in hac tua castigandi methodo longe gravior priore contigit , adversus nimirum syntaxis regulas , quibus ego pro modulo meo obtemperaturus scripsissem . *Quisquis in hanc intrat , non Quisquis in hac intrat .* Qua de re melius profecto lapidi illi fuisset , si ad meliorem formam redigere nunquam cogitasses . Fumum enim per te fugiens



*Dissertatio.* 473

giens in flammam incidit, & ut quondam ille currens, ne conspergeretur aqua, in foveam præfocatus est. Verum detur error hic Malatestæ, a quo venustissime ceteroqui historia tua Gymn. Ticin. impressa fuit, quoniam, ut optime video, nefas est de te viro sapientissimo talia suspicari. Nulla tamen ratione carmini illi adhibenda tibi correctio erat. Nam qui historiæ leges apprime callent, & optima fide se se in referendis priscorum monumentis gerere gloriantur, ne vel punctum quidem immutare audent, eorumque etiam orthographiam, qualiscunque ea sit, intactam exhibent, quod sane observatum minime a te video, ubi ex Duchesnio transcripsisse profiteris.

*Rex Karolus caput orbis, amor popu-  
lique decusque*

Quæ scribendi forma non modo a communi consuetudine abhorret, verum etiam ab ipso Duchesnii calamo alienissima est. Scribit enim

*Rex Carolus caput orbis, amor populi-  
que decusque.*

Ma-



474 *Jo: Pauli Mazzucheli*

Majore aliquanto etiam in Schraderum auctoritate usus es, referens ex ipso, ut supra jam legimus.

*Roma secunda sibi claros, quos protulit orbi.*

Schraderus vero edidit.

*Roma secunda sibi claros quos protulit urbi.*

Parva hæc ac minima dices, de quibus homines gravissimis distenti negotiis nequaquam curant. At si te occupationes rerumque agenda- rum onera adeo præpediunt, ut satis accurate diligenterque in scribendo gerere te nequeas, non est profecto, maxime carpendo ac vellendo auctores plurimos eruditissimos, mortuos tamen, cur in historicorum partes invadas. Amant enim hæ virum numeris omnibus eruenda veritati ita intentum, ut ne uni quidem literulæ vel minima fiat injuria. Hinc Trebellius Pollio auctor tertii seculi in vita Aureoli Tyranni, cujus epitaphium e græco in latinum haud valde feliciter versum adducit, ingenue scribit: *Hos ego versus a quodam grammatico translatos*  
ita



*Dissertatio.*                      475

*ita posui , ut fidem servarem : non quo melius non potuerint transferri , sed ut fidelitas historica servaretur , quam ego præ ceteris custodiendam putavi . Et sane si decimo quarto seculo , quo tibi ultro in mentem venit scientias omnes Papiæ floruisse emerfit infelix illud Manfredi de Beccaria epitaphium , grammaticorum terriculamentum , cur pro veritate referre noluisti versiculum eum , quem eodem seculo aliquis fortasse ex iis tuis literatis efformavit , signatum errore contra versuum leges , ut hac etiam parte Ticinensis Inscriptio a Mediolanensi differret . Ceterum ego quidem satius credam ostendi posse retia inflando nata esse , quam supra memorato tempore Ticini Regii fuisse studiorum Universitatem , prius quam a Galeatio secundo institueretur . Quod cum pro historici munere jam scripserint Corius , Paulus Merula , Schraderus , aliique plures , tu eos idcirco omnes hac in re non multa antiquitatis notitia instructos fuisse*  
 criminari cap. 16. tuæ Gymn. Ticin.  
 Hist.



476 *Jo: Pauli Mazzucheli*

Hist. At vide quæso ne ipse nimio labores, cum id certe asseras, quod proximi ea tempora scriptores a nemine fide digno mortalium acceperunt. Nec ullum mihi timorem injiciunt verba hæc, quæ supracit. cap. 16. facis: *Papie tamen hoc antiquissimum decus sepultum non jacuit, quia semper in ipsa literæ floruerunt etiam proximis sævientibus bellis, ut testatur Synchronus Petrus Azarius Novariensis in Chronicis MS. Bibliotheca Ambrosianæ dono datis ab erudito Lazaro Augustino Cotta; qui Petrus Azarius sæpissime de ingenti scholasticorum frequentia ante annum 1360. mentionem facit. Nam, Deo dante, pervolvi ego diligentissime, & non semel tui causa, totum Azarii Chronicon Bibliot. Ambros. juratusque tibi affirmo falsum omnino esse, sæpissime loqui Azarium de frequenti, cujus meministi, scholasticorum concursu, cum nunquam de ipso loquatur, non modo ante annum 1360. ut ipse adeo constanter in vulgus producis, sed ne aliis quidem subsequentibus annis, quibus*



*Dissertatio.*                      477

bus sui temporis historiam persecutus est. Unde hac in re quoque deceptus pessime ab aliquo fuisti, cum te fucum aliis facere voluisse unquam non credam. De Universitate vero Ticinensi hoc aperte sub titulo Galeatii tradit Azarius: *D. Galeaz curavit habere universa studia in civitate Papiæ, in qua antiquitus fuisse dicuntur.* Nulla igitur, teste Azario ipso, studia Papiæ erant, antequam a Galeatio Principe nostro conderentur. Dicebantur siquidem ea antiquitus fuisse: eo tamen tempore nulla prorsus extabant, adeoque nullus ingenti scholasticorum frequentia locus erat. Ceterum apud Berosum dicuntur etiam antiquitus fuisse Reges in Ægypto semihomines & semipisces. At credite posteri,

Quod autem primo loco in hac contra nos quæstione evocasti, in ultimam mihi partem differendum & simul discutiendum arbitratus sum, non ideo profecto, quod magni pendam, cum nullius omnino ponderis sit, & exufflatu facillimum, sed ut sentias quanti apud me sit nomen tuum,



478 *Jo: Pauli Mazzucheli*

tuum, cujus amore iis etiam responde-  
 dere haudquaquam detrecto, quæ si  
 ab aliis proferrentur, ne audire qui-  
 dem, vel supplicante orbe toto, di-  
 gnarer. Scribis igitur: *Hinc ita cre-  
 vit sub Gothis Regibus, & Langobar-  
 dis ipsius (scilicet Papiæ) fama &  
 splendor, ut secunda Roma meruerit  
 appellari.* Fateor equidem verba hæc  
 se primo aspectu ita concinnata, seu  
 potius convoluta exhiberi, ut inge-  
 niis tardioribus, qualia in hominibus  
 plura sunt, videri possis ex tripode  
 loqui, ac dicere aliquid, cum nihil  
 revera dicas. Omissis tamen his, quæ  
 dolendo potius quam respondendo  
 inserviunt, breviter a te peto, scien-  
 tissime Gatte, a quonam Ticinum di-  
 ctum fuerit secunda Roma. A Go-  
 thisne Regibus, an a Langobardis?  
 Si Gothos forsitan ejus appellationis  
 auctores facis, cedo eorum nomina.  
 Ast æthiopem lavas, & in aere pesca-  
 ris, si hæc mihi daturus, evolvendis  
 priscorum monumentis nunc ope-  
 ram locas, præsertim cum Gothi  
 Reges Ravennæ, non vero Papiæ,  
 sui sedem Regni posuerint, ut Leo-  
 nar-



*Dissertatio.*                      479

nardus Aretinus lib. 1. de Bel. Ital.  
 Hieronymus Rubeus in Hist. Raven.  
 aliique passim ostendunt . Interim  
 accipe ex Joanne Vafæo in rer. Hisp.  
 Chron. sub anno Dom. 413. quo præ-  
 diti fuerint animo Gothi, gens natu-  
 ra ferox, moribus incondita, & ab  
 uno disce omnes. Narrat itaque non  
 defuisse inter Gothorum Reges, qui  
 tam remotus alienusque fuit ab im-  
 ponendo alicui urbium secundæ Ro-  
 mæ cognomento, ut etiam Romæ  
 ipsius nomen ex memoria omni de-  
 lere cogitaverit. En ejus verba: *Hic*  
 (nempe Ataulphus Alarici consan-  
 guineus, & Rex) *in animo habuit obli-*  
*terato nomine Romano, solum omne Ro-*  
*manum Gothorum Imperium facere, &*  
*Romam Gothiam appellare.* An ergo  
 nomen secundæ Romæ impositum  
 Ticino fuit a Regibus Langobardis,  
 qui nec Romana urbe unquam poti-  
 ti sunt, nec Romanorum Regum ti-  
 tulum vel ad horam præ se tulerunt?  
 Verum nullus codicum sexto, septi-  
 mo, octavo, nono, sequentibusque  
 seculis exaratus hoc innuit, nec di-  
 plomata, nec lapides, nec nummi,  
 nec



480 *Jo: Pauli Mazzucheli*

nec aliud cujuscumque generis monumentum sive apocryphum, sive germanum id perhibent. Adde etiam non omnes, ut ipse refert cap. 3. *Gymn. Ticin. Hist. Langobardorum Reges suam in Ticinensi urbe sedem habuisse. Agilulfus enim, & Adalvaldus Mediolani Italicum Regnum moderati sunt, ut indicat Paulus Diaconus in Hist. Lang. Quare Muratorius in Comment. de Cor. Fer. cap. 4. verissime notat: Ambos hos Reges Mediolani consedisse pluribus in locis prodit laudatus auctor, ac proinde veram Langobardici Regni sedem eo tempore Mediolanum fuisse, hinc quoque intelligimus. Gundibertus item Perthariti frater apud nos Regiam habuit, ut alphabetariis usque pueris innotescit. Tandem celeberrimus Paulus Æmilius, cujus summam in Historia fidem exosculor ait in Cicer. Erasmus, lib. 3. de rebus gestis Francorum scribit: Reges Langobardorum in ea cisalpina Gallia floreque Italiae nobilissimas urbes, ac nitidissimos agros sibi proceribusque incolendos delegerant.*

**MEDIOLANUM, PAPIAQUE**  
sedes



## Dissertatio. 481

o. *sedes Regum erant*. Insuper Papiæ  
 ve aut raro, aut nunquam Langobar-  
 et. dorum Regum coronationes habitæ  
 3. sunt, sed Mediolanensi in urbe,  
 m quemadmodum ex Paulo Diacono  
 m natione Langobardo, aliisque spe-  
 1. ctatissimæ fidei scriptoribus colligere  
 m licet. A quonam igitur Ticinensium  
 a. Patriæ inditum fuit alterius Romæ  
 o. cognomentum? An a Francorum  
 4. Regibus, Pippino scilicet post de-  
 es victum Aistulphum, & Carolo ejus  
 is filio post subactum Desiderium? Si  
 ve. Pippinum appellas, deciperis, nam  
 n. laudatus Paulus Æmilius lib. 2. ut  
 ue sup. testatur: *Pippinus alpes trans-*  
 r. *gressus, Mediolani Regiam delegit,*  
 a. *quod ea florentissimæ regionis urbs se-*  
 is *cundum Romam longe Princeps totius*  
 us *Italiae esset: & ut Ravenna ad res*  
 in *Orientis Latinis, Græcis, Ostrogotibus*  
 r. *opportuna fuerat, ita hæc Francis ido-*  
 n. *nea visa est, velut arx & specula Ita-*  
 m *liae, Galliae, Germaniaeque.* Si vero  
 ia Carolum vocas, divinando loqueris  
 os & nimium gratis, ideoque audi per-  
 v. vulgatum illud carmen:

E Opusc. Tom. VIII. X Si



482 Jo: Pauli Mazzucheli  
*Si satis affirmasse fuit, satis esto ne-  
 gasse,*

*Cur tibi sit potius quam mihi cer-  
 ta fides?*

Tu itaque, ut paucis rem expe-  
 diam, putasti Ticinensem urbem  
 nuncupatam ab aliquo fuisse secun-  
 dam Romam, ut olim, sed gravio-  
 re lapsu, Poetarum Princeps Virgi-  
 lius sub persona Tityri putavit Ro-  
 mam similem fore Mantuæ: cogni-  
 to tamen errore subridens cecinit  
 optimus vates Ecl. 1.

*Urbem, quam dicunt Romam, Meli-  
 bœe, putavi*

*Stultus ego huic nostræ similem, quo  
 sepe solemus*

*Pastores ovium teneros depellere fœ-  
 tus.*

At forsitan dices Ticino concessum  
 alterius Romæ nomen fuisse ab Oc-  
 cidentis Imperatoribus, qui, jam  
 antea exciso Langobardorum domi-  
 natu, nobilissimum Italiæ Regnum  
 obtinuerunt. Peregregie nunc lo-  
 queris, & quanta præditus eruditio-  
 ne sis, nemo, vel infans, vel trio-

bola.



*Dissertatio.* 483

bolaris, vel tressis homo, videre non potest. Dic tantum mihi eorum nomina, & arma pono. Refer igitur demum a quonam Imperatorum Papia dicta fuerit secunda Roma. Num a Carolo Magno, qui e vita decedens amplissimo Mediolanensem Urbem legato donavit, & quod longe majoris momenti est, ipsam in testamento, post Romam & Ravennam quippe ditionis Pontificiæ, primo etiam recensuit loco ante alias omnes, quotquot erant in Italia, Germania, ac Gallia, Regni sui Metropoles, ut in ejus vita luculenter prodit Eghinardus? Num a Ludovico Secundo, qui vivens ad eo Patriam nostram dilexit & coluit, ut moriens etiam ipsam deferere abnuerit, cum in celebri Ambrosiana Basilica Mediolanen. tumulo suum dari jusserit corpus, cujus disertissimum adhuc visitur epitaphium, quo, teste Papirio Massono in Annal. Franc. lib. 2. *res ejus gestæ melius & venustius, quam ullis annalibus, exprimuntur?* Num ab



484 *Jo: Pauli Mazzucheli*

Othone Magno , qui Mediolani in Langobardorum Regem electus ab Archiepiscopo nostro Walperto, coronam quoque apud nos ejusdem Archiepiscopi manu accepit , cui idcirco , ne gratia scilicet vinceretur , ditiones aliquas dono dedit optimus Imperator , quemadmodum ex Sigonio advertit doctissimus & humanissimus Joseph Antonius Saxius in aurea dissertatione ad vindicandam Mediolano SS. Corporum Protasii & Gervasii possessionem cap. 7. pag. 171. Num ab Henrico Septimo , qui Urbem Papiam & cives ejus hostes ac rebelles Imperii nuncians , severam in eos sententiam in scriptis tulit , pronuncians inter alia civitatis muros , murorum turres , & portas dirui ac destrui funditus ipsius civitatis summitibus ; fossata quoque & valla in ambitu ipsius civitatis facta explanari & impleri ; urbis quoque solum aratrum pati : ut in Hist. Mediol. cap. 59. loquitur Joannes de Cermenate ? Num denique ab aliquo alio inter Imperatores seu Francos , seu

Sa-



Dissertatio .

485

Saxones , seu alterius cujuscunque nationis , qui post instauratum a Romano Pontifice Leone tertio Occidentis Imperium regnarunt ? Sed hæc ita veterum immo & neotericorum suffragiis nuda captaque sunt ac destituta , ut terere ulterius tempus interrogando adhuc non patiar . A nemine itaque , qui in rerum natura aliquando fuerit , a nemine prorsus Ticinum Regium appellatum fuit secunda Roma . At nec tali unquam meruit nomine appellari , ea maxime ratione , qua rem tibi omnem mirabiliter pro Papiensibus conficere visus es . Trevirim me non latet æquissime ab omnibus vocari Romam alteram , quod ibi sedem suam per annos plures stabilem posuerint Romani Imperatores , ideoque etiam Christophorus Browerus & Jacobus Massonius tom. I. Antiq. & Annal. Trevir. pag. 101. scripserunt : *Treviris Romanorum , ut meminimus , Imperatorum Occidentalis in Gallia sedes , Roma altera , & Augusta Trevirorum urbs est nuncu-*

X 3

pa-



486 Jo: Pauli Mazzucheli

*pata* . Arelas etiam dicitur a nonnullis altera Roma , seu potius Galliarum Roma , cum in ipsa Fl. Constantinus , licet tyrannus , Imperii sedem fixerit , & edicto insuper sanxerit , quod alii tamen Constantino Magno , alii Honorio ac Theodosio ascribunt , ut in ea septem Provinciarum conventus agerentur . Quare vel Ausonius lib. de Clar. urb. cecinit .

*Gallula Roma Arelas .*

Aquisgranum quoque dictum est secunda Roma , quod ibi Carolus Magnus sedem sibi futurisque Occidentis Imperatoribus perpetuam decreto constituit . Unde Alcuinus , seu quicumque alius sit auctor , in præmemorato poemate fuse loquens de Aquisgrani ædificatione habet .

*Altaque disponens ventura mœnia Romæ .*

Et Georgius Scubartius in exercit. Hist. de Comit. Pal. Cæs. pag. 235. scribit: *Aquisgranensem Regiam vocant Lateranensem ex imitatione Romani*



## Dissertatio . 487

*mani Laterani, sicut urbem ipsam Aquisgranum ejus ævi scriptores Romanam novam dixere, & Augustam Trevi-  
rum Romanam secundam.*

Meruerunt itaque Treviris, Are-  
las, & Aquisgranum secundæ Ro-  
mæ cognomen, quia Romanorum  
Imperatorum sedes ex destinato ac  
domicilium fuerunt, loco Roma-  
næ Urbis, nec alia profecto ratione,  
quæ sana sit ac valida, urbes aliæ,  
quotquot unquam indicari possunt,  
numero tamen paucissimæ, nomen  
illud sortitæ sunt, nisi quod Impe-  
rii sedem, ideoque secundæ Romæ  
tituli basim, in se translata[m] vide-  
runt. Papiam vero unam ex omni-  
bus in orbe toto meruisse dici alte-  
ram Romanam, eo quod sub Gothicis  
Regibus ac Longobardis creverit ip-  
sius fama, novum adeo atque inu-  
sitatum dicendi genus est, ut vel  
amicissimi tui primo aspectu talia  
audientes obstupescere, deinde in-  
risum effundi compellantur. Simili  
plane Dialectica & arguendi via usus  
est abhinc annos triginta Paulus



488 Jo: Pauli Mazzucheli

Troncius in Historia Pisana . Ue  
 enim probaret ac evinceret Pisas  
 fuisse olim Coloniam Romanam ,  
 ad hanc Livii auctoritatem confugit,  
 apertissime dicentis Pisas deductam  
 fuisse Latinam Coloniam : *Pisanis*  
*agrum pollicentibus , quo Latina Co-*  
*lonia deduceretur , gratiæ ab Senatu*  
*actæ .* Verum quis Troncium , hac  
 saltem in re , cum arte recte ratio-  
 cinandi divortium fecisse non videat,  
 cum Colonia Latina tam longe di-  
 stet a Romana , quam æreus num-  
 mus ab aureo , dum Latinæ Colo-  
 niæ parvum jus Latii habebant , Ro-  
 manæ vero amplissimum jus Quiri-  
 tium , hoc est *jus privatæ libertatis,*  
*connubiorum , patrium , jus legitimi*  
*dominiæ , ut hæreditatis , mancipii ,*  
*& nexus usucaptionis , & reliquorum ,*  
*itemque jus testamentorum & tutela-*  
*rum .* Hæc autem jura omnia colonis  
 Romanis concessa , Latinis interdicta .  
 Ita Sigonius de antiq. Jur. Ital. lib. 2.  
 cap. 3. Quare ex citatis Livii verbis  
 deduci quidem potest Pisanam ur-  
 bem nobilissimam jus Latii obtinuis-  
 se ,



fe , non autem unquam Romanis  
 coloniis ascriptam fuisse , nisi forsi-  
 tan syllogistica celebris illius ingenii  
 forma arrideat , quod navim Argo in  
 montes Istriæ appulsam fuisse con-  
 tendebat , quia olim anchora quæ-  
 dam inventa illic fuerat . Pari om-  
 nino ratione si crevit , ut ipse nar-  
 ras , Papia sub Regibus Gothis &  
 Langobardis , sequitur profecto ip-  
 sam vocandam esse Regiam urbem ,  
 quod nemo ad diem hanc negavit ,  
 cum vulgo quoque dicatur Ticinum  
 Regium ; verum colligere haud  
 quaquam licet eam idcirco meruisse  
 appellari secundam Romam , cum  
 nec aliunde ab antiquorum ullo tam  
 grande nomen acceperit , nec vere  
 unquam fuerit sedes ac domicilium  
 Imperatorum , qua tantum ratione,  
 nisi ad levia , & anilia forsitan com-  
 menta perfugere libeat , contigit  
 nonnullis urbium secundæ Romæ  
 cognomentum . Scio equidem , nec  
 me terret , Valentiam Tarraconen-  
 sis Hispaniæ urbem dici Romam ,  
 quamvis nulli certam Imperatori se-



490 *Jo: Pauli Mazzucheli*  
dem præstiterit, sed ea nomine tantum Roma dicitur, non re, ut de Treviris, Arelate, Aquisgrano, aliisque noster huc usque sermo processit. Nam Valentia sane, si græce loqui velimus, *Rhome* dicitur, quæ vox non uni solum competit Valentia, Metropoli Regni Valentini, sed etiam quibuscunque aliis tam in Hispania, quam in Gallia, Italia, & America sive urbibus, sive arcibus, quarum nomen Valentia sit. Unde miror cur Bernardinus Gomezius lib. 12. de Vita Jacobi primi Aragonum Regis tam meticulose, ac pene per ambages de Tarraconensi Valentia scribat: *cujus profecto robuste tamque valentis juventutis gratia minime fabulosum putarim, quod antiquitate auctore, de Valentia hac urbe vulgo fertur fuisse quidem ipsam antiquitus Romam dictam ἀπὸ τοῦ Ρώμης, quod est robur.* Quid enim juvat asserere eam antiquitus dictam fuisse Romam, dum etiam nunc tali nomine gaudet, quoties græco sermone, qui certe mutatus non est,  
uti



## Dissertatio. 491

uti quis velit? Nec sola est, ut jam vidimus, in terrarum orbe Valentina Civitas, quæ illud præferat nomen, cum aliis quoque commune sit. Quin Roma etiam ipsa gentium domina prius latine Valentia nuncupata est, quam græce Roma, ut Polyhistor Solini cap. I. ait: *Sunt qui videri velint Romæ vocabulum ab Evandro primum datum, cum oppidum ibi offendisset, quod extructum antea Valentiam dixerat juvenis Latina: servataque significatione impositi prius nominis, Romam Græce Valentiam nuncupatam.* Ipsa quoque Gerulorum, imo & belluarum valentia seu robur apud Græcos *Rhome* dicitur, cum vox hæc proprie sumpta nil aliud indicet, quam corporis robur. Extra rem igitur nos sumus, qui historicam disputationem habemus, agitamusque cuinam competat secundæ Romæ cognomentum, non vero inquiremus, an græcum verbum *Rhome* penes Latinos significet valentiam ac robur, cum res per se adeo clara sit,



492 *Jo: Pauli Mazzucheli*

ut nullus disceptando pateat locus.  
Ceterum inter urbes omnes, quot-  
quot sunt, numero tamen, sicut  
jam innui, paucissimæ, quæ utpo-  
te Imperatorum sedes appellatę olim  
secundæ Romæ fuere, duæ tantum,  
quod menti tuæ infixum esse cupio,  
ut aliquo in numero habere inci-  
pias Patriam meam: duæ inquam  
tantum in universo terrarum orbe  
apparent, quibus tales sese publicis  
ostendere ac probare monumentis  
datum est, publica scilicet auctori-  
tate, publico ad seculorum omnium  
memoriam in loco erectis: reliquæ  
vero, cum nimia temporis vetusta-  
te documenta alia majoris ponderis  
amissa sint, & ipsa forsitan hac de  
re edita, ut aliqui non leviter arbi-  
trantur, Imperatorum decreta,  
privata hodie vel Poetarum, vel hi-  
storicorum auctoritate innituntur,  
prævia tamen Imperatoriæ sedis ra-  
tione, sine qua nihil firmum satis  
feliciter. Urbes autem ex supra ce-  
lteris insignitæ adeo sunt Constans-  
tinopolis, & Mediolanum, quarum  
pri-



*Dissertatio.*      493

prima inscriptionem præ se jamdiu tulit marmoreæ columnæ incisam, quæ ad equestrem Constantini statuam publice fuit in strategio erecta. Quare Socrates lib. I. cap. I. scribit: *Lege denique sancivit ( scilicet Constantinus ) ut secunda Roma vocaretur, quæ lex est in columna marmorea incisa, atque adeo publice in strategio, juxta ipsius Imperatoris equestrem statuam collocata.* Mediolanum vero, quemadmodum supra jam vidimus, inscriptionem habuit in Romanæ Portæ ceterarum omnium Principis superliminari eductam, quæ ad commendationem terroremque maximæ Civitatis indicabat eam alteram fore Romam, Thebisque & Athenis longe majorem, nec non externis gentibus metuendam. Cujus autem jussu erecta fuerit Inscriptio nostra, alii alia opinantur, & cum nemo forsitan rem certo assequatur, omnes tamen pro ingenio suo differere volunt, ne ipsam ignorare videantur. Quid hac super difficultate ipse sentiam, alibi favente Deo, animum meum aperiam,



494 *Jo: Pauli Mazzucheli*  
 riam, cum jam absolvendæ hujus  
 disceptationis tempus sit, non alte-  
 rius exordiendæ. Interim nullam  
 tibi admirationem pariat Imperato-  
 rum sedes ac domicilia secundæ  
 Romæ cognomentum sibi ascivisse  
 potius, quam primæ Romæ. Hoc  
 enim, maxime Constantini ætate,  
 optime factum est, ac divinitus pe-  
 ne emerfit, nimirum ( si Venerici  
 Vercellensis lib. de Unit. Eccl. ver-  
 bis mihi fas est uti ) *ut vetus Roma*  
*obtineret primatum Apostolici honoris,*  
*& nova retineret principatum Regiæ*  
*Majestatis, ut sic mater & filia con-*  
*cordarent in unitatem Christianæ fidei*  
*& religionis.* Nunc animo tecum  
 agita, humanissime Gatte, & æqua  
 judicii tui lance, qua nihil sapien-  
 tius est, perpende, an taciti, vo-  
 lentesque nos hodie pati debeamus  
 vetustissima ea privari inscriptione,  
 qua, Constantinopoli una excepta,  
 reliquæ urbes secundæ Romæ titulo  
 ornatae, nobis loco cedere coguntur,  
 cum tam validum hac in re specta-  
 tumque pro se efferre nequeant do-  
 cumentum, qua alterius Romæ co-  
 gno-



gnomen passim ab omni scriptorum genere Patriæ nostræ collatum, & a nobis quacunque pervulgatum innotitur, qua non tantum meruisse, ut rerum gestarum memoriæ produnt, appellari, verum etiam appellatum Mediolanum fuisse secundam Romam evincimus, qua denique superioribus omnibus seculis a nemine unquam vel jurato nostrarum laudum hoste spoliati sumus, licet celebri æneobarbici furoris calamitate perruptus fuerit lapis quingentos sexaginta abhinc annos, ut temporum injuria, prius quoque nostro, Bizantinum marmor cum inscriptione simul evanuit. Ceterum si te Regiæ Ticinensium urbis laudandæ cupiditas tenet, lauda sane ipsam quantuncunque potes, dum maximis dubio procul encomiis digna est, nec plura tibi implendi volumina materies deerit, quæ vel tuum fortassis, licet præstantissimum, poterit ingenium delassare. Cave tamen, si te amas, ne falsis adhuc exterisque laudibus eam tentes; nam iterum merito admira-

tio.



496 *Jo: Pauli Mazzucheli*

rione dignos alioqui labores tuos ni-  
 hili pendent Ticinenses, ut exem-  
 plo tuo historiarum scriptores di-  
 scant veritatem subsequi, ferendis-  
 que extra rem finitimas inter na-  
 tiones discordiis abstineant. Cave  
 tamen multo magis, ne quæ Patriæ  
 nostræ ornamenta sunt, ipsis denuo  
 imponas. Duplex enim hæc tibi  
 incuntis semper bellum erit. Pri-  
 mum a nobilissimis Papiensibus, qui  
 tot tantaque de suo exhibent, ut  
 non modo alienis laudibus non in-  
 digeant, sed plures etiam alias effi-  
 cere commendatissimas urbes pos-  
 sint, si mos unquam oriretur lau-  
 des commodandi. Alterum a Me-  
 diolanensibus, qui non de augen-  
 dis, sed de retinendis dumtaxat Pa-  
 triæ suæ laudibus in te, quoad vi-  
 ves, acriter pugnabunt, nulli sane  
 parcentes labori, ne maximi inge-  
 nii tui conatibus veritas, & gloria  
 sua obruantur: nec te profecto duo  
 post mortem secula expectabunt suos  
 tutius lares defensuri, cum ipse lo-  
 qui tuumque tegere studium haud  
 amplius poteris, ut tu adversus Co-  
 rium



*Dissertatio.* 497

rium nostrum, ducentos circiter abhinc annos denatum, recenter præstitisti, pro quo nunc ego tecum in arenam descendere nil veritus sum, licet innumera mihi vetustissima MSS., in quibus consenuit Corius, dum jussu Sfortiadum Vicecomitum Principum Historici munus suscepit, ne nomine quidem audito, cum partim flammis, partim bello absumta miserrime fuerint, præsertim dum Ticinensem urbem gallicis copiis diripiendam dedit Lautrechius anno 1527. Ut autem tibi, si quid adhuc forsitan de Papiensi urbe ad scribendum aggredi cupis, ab omni in posterum discrimine caveas, consule diligenter, & adamussim perpende Ticinensium historicorum scripta, quæ non adeo exigua numero sunt, ac jejuna, ut ipse facile nimium incufas. Neque pudeat te, ubi ratio aliter non evincat, ab iis accipere & discere, quod ab aliis sane tutius ostendi tibi non potest. Unicuique enim domi suæ fides habenda est, iisque maxime, qui in rerum me-

mo-



498 *Jo: Pauli Mazzucheli*

moriis digerendis bonam apud homines sibi famam compararunt: nec adeundi quidem sunt, quos Africa peperit scriptores, ut Insubriæ gesta dignoscantur. Insuper Ticinenses, quidquid majoris momenti de sua enarrari poterat Patria, diligentissime perscrutati sunt, nec intentatum aliquid penitus reliquerunt, quod vere mœnibus suis gloriæ verteretur. Quare si altera Roma vocanda esset Papia, jam millies hoc penes Guallam, Saccum, Breventanum, Speltam, aliosque veteres Papienses historicos scriptum offenderes. Ipsos igitur sedulo evolve, ipsos libenter audi, ipsos ubique sequere, ne de te unquam, ut enixissime ab immortalis numine peto, dicatur, quod S. Gregorius lib. 5. *Moralium* cap. 18. de quibusdam notat: *Communem scientiam habere refugiunt, ne ceteris aequales aestimentur: occulta vel nova semper exquirunt, quæ dum alii nesciunt, apud imperitorum mentes ipsi de scientiæ singularitate gloriantur.* Quantum vero ad nos attinet, voca adhuc, si vis,

Ti-



*Dissertatio.*      499

Ticinum Regium alteram Romam: nihil enim plane hoc civium nostrorum interest, dummodo quæ nostra sunt, non eripias nobis, nec contumeliis Mediolanenses Historicos perstringas, qui patrio, absque dubio, monumento innixi Mediolanum appellatum olim fuisse secundam Romam constantissime omnes posteris semper tradiderunt. Quære itaque pro Papiensibus documenta alia, quæcumque velis, nec ulla profecto de eorum veritate nobis unquam cura erit, nisi iterum ad majores nostros injuriis liberandos, & ad rem domesticam sustinendam erumpere adigamur. Hæc sunt quæ pro Patria dicere habui. Recte tamen an fecus scripserim, quidquam affirmare non ausim. Videris tu, qui eximia præditus sapientia es, & in tua fide ac religione libens rationes depono, quascumque pro ingenioli mei viribus exaravi. Quamvis enim in recensitis a me rebus forsitan deceptus es, nihilominus adhuc eruditioni tuæ plurimum defero, tuumque nomen maxima penes me semper



500

*Jo: Pauli Sc.*

per existimatione florebit: cum optime sciam nullum penitus inter homines esse, vel doctissimum ac peritissimum, qui aliquando in errorem non abeat, a quo sola immunitatem habet æterni numinis sapientia. Esto itaque omnium, quæ meo e calamo exciderunt, tu arbiter, tu disceptator, tu judex, & me amare non desine, si Patriam tueri ausus sum. Nam quod pro Patria adversus te munus suscepi, idem pro te, etsi non egeas, adversus alios me suscepturum scias, ubi ratio tamen & veritas non obsistant. Vale.

Mediolani die vigesima octava ab electione Augustissimi Imperatoris Caroli Sexti, octava vero Novembris 1711.

**I L F I N E .**

